


K i
1242.4





Handwritten text on the right edge of the page, including a circled 'C', a circled 'S', and a circled '7'.



NICOLAI CHRISTOPHORI
LYNCKERI, JCTI,

*Consilarii Aulae Regiminis & Consistorii Ducalis Saxonici, Facultatis
Juridicae Senioris, Curiae Provincialis ac Scabinatus Assessoris,
& Antecessoris Primarii,*

TRACTATIO JURIDICA,

DE

JURE RESTI-
TUENDÆ FAMÆ,

Vom

Recht eines wieder Ehr-
lich = Gemachten,

Olim Mense Augusti 1678. Jene habita.



EDITIO NOVISSIMA.

HALÆ MAGDEBURG.
APUD JOH. CHRISTIANUM HENDELIIUM, 1727.


Hi 1242 d



MICHAEL CHRISTOPHORI
LYNCKERI
FACULTATE JURIDICA

PURE RESTI
TUENDI FAMAE





LECTORI BENEVOLO SALUTEM.



Amam Tibi impræfens fisto, Lector Benevole, non quidem suæ latitudini relictam, (Hoc enim feliciori ante me dudum calamo expedivit Marquardus Freherus:) sed fauciam potius, & per punibile juris factum satis

corrosam. Cujus vulneribus mederi si velis. medicamen omnino fortissimum adhibendum erit, quod tamen lenire magis carcinoma, quam illud ex fundamento exhaurire curareque credendum est. Ignem certe *Veteres* semel accensum facile servari dixerunt, extinctum autem non facile reaccendi: Sic etiam famam tueri facile, extinctam non facile esse restituere arbitrati sunt. Hominum immortalem esse infamiam, etiam tum vivere, cum credas esse mortuam, *Plautus* dixit in *Pers. 3. 1.* Hinc Imperator *Claudius*, cum orantibus familiaribus demisset cuidam appositam notam,

exclamavit: Litura tamen extet. Fama certe bona thesaurus est inæstimabilis, secundum *Baldum in l. 1. C. de confess.* quem refert *Flamin. Paris. de resignat. benefic. lib. 5. quæst. 3. num. 92.* Et maximum est bonum, per ea quæ tradit *Franc. Anton. a Sousa docente Barbosa in axiom. lib. 6. cap. 8. num. 4.* Et ideo melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ. *Proverb. 22. Joseph. Mascard. de probat. concl. 234. § seq. § concl. 1219. num. 9. § 10.* Prodest enim multum, imo in tantum, ut crudelis dicatur, qui illud negligat, *Anchor. conf. 188. Covarruv. lib. 1. var. cap. 2. num. 8. in princ. Dem. Arum. decis. 13. num. 66. lib. 2.* cum periculum infamiæ æquiparetur periculo mortis, *Alexand. conf. 133. num. 8. lib. 6.* & vita & fama pari passu ambulent, *l. 9. ff. de manum. vind. l. 8. §. 2. ff. quod met. causa. l. 4. C. de mat. § mathem. l. 9. pr. ibi: capitis fameque periculum, de fideic. libert.* Unde & fama plus est custodienda quam gemmæ, imo quam ipsi oculi, & mortaliter peccat qui eam non defendit jure, *can. 51. § can. 56. caus. 11. quæst. 3.* omnique emolumento pecuniario præponderat, *l. 104. de reg. jur. Cic. lib. 2. de orat.* Hinc etiam item *Plautus in Mostel. 1. 3.* Ego, inquit, si bonam famam mihi ser vasso, sat ero dives. Hæc, interire nescia, post cineres ac fata subsistit, majorque sæpe venire solet. *Ovid. lib. 4. de Ponto. el. 16. § Amor. 1. el. 10.*

Scinduntur vestes, gemme franguntur & aurum;
Carmina quam, tribuent fama perennis erit.

cum

cum quo etiam consentit *Ausonius in Thaletis sententiis*. Vita, inquit, perit morbis, gloria (fama) non moritur. *Horat. Satyr. 2. l. 1.*

Unile
Fama malum gravius, quam res trahit? An tibi abunde
Personam satis est, non illud quicquid ubique
Officit, evitare? bonam deperdere famam?

Fama tantum est bonum, ut *Isocrates in orat. de pace* post pietatem erga Deum nihil pluris faciendum iudicet bona apud bonos fama. Beatus ergo iudicandus, cui obtigit ut *Pindar. canit Olymp. od. 7.* & *Plinius Secundus epist. 3. lib. 9.* alius alium, ajens, ego beatissimum existimo, qui bonæ mansuræque famæ præfuntione perfruitur, certusque posteritatis cum futura gloria, ac nihil nisi præmium æternitatis ante oculos habet. Sane ergo omnibus fortunæ bonis, quæ incerta malisque æque ac bonis contingunt, famæ decus præferendum, cum bonis tantum hoc ac durabile sit. Fuit antiquitè aliquid inter Philosophos controversiæ, utrum ingens hoc bonum propria sua natura ac præstantia, an vero utilitas tantum gratia sit æstimandum. Referente enim suaviloque Romanæ Eloquentiæ principe *Cicerone 3. de finib.* Chrysippus ac Diogenes utilitatis tantum causâ famam bonam expetendam censebant, non suapte præstantia, & rursus bonæ famæ causâ detracta utilitate ne digitum quidem porrigendum esse dicebant. Qui autem post eos fuerunt, cum

Carneadem sustinere non possent, bonam famam ipsam propter se propositam ac sumendam esse dixerunt, esseque hominis ingenui ac liberaliter educati, velle bene audire a parentibus, a propinquis, a bonis etiam viris, idque propter rem ipsam, non propter usum: addentes, ut liberis consultum velimus, etiamsi posthumi futuri sunt, propter ipsos; sic futuræ post mortem famæ tamen esse propter rem, etiam detracto usu, consulendum. Huic jam e diametro adversatur illa omnium malorum colluvies ac sentina infamia, eadem forma dicta, qua infortunium, κατὰ σίγησιν. Si quidem particula IN in compositione privandi vim habet, ut cum injustum, inofficiosum, infectum dicimus, *Dd. in l. Gallus. §. Ille casus in difficili. ubi Barthol. num. 2. & Jason. num. 12. cum seq. ff. de lib. & posthum.* ejus horridam faciem ac figuram eleganter *Varro* depingit his verbis: Tertia pœnarum infamia, stans nexa in vulgi pectore, fluctuanti intonsa coma, sordido vestitu, ore severo. Non poterat abominabilius describere dirum monstrum. Longe enim gravior est infamia, vel obscuritate sive ignobilitate, vel contemptu, ut *Tullius* docet *Offic. 2.* Quos improbos, maleficos, fraudulentos putant, & ad faciendam injuriam instructos, eos non contemnunt quidem, sed de his male existimant. *Confer. Marq. Freher. de infam. lib. 3. cap. 1.* Hæc magis abominanda ipsa vel durissima paupertate. Sic enim eleganter *Plaut. in Pers. 3. 1. de paupere quodam:*

Quan-

Quoniam res nostra sunt, pater, paupercule,

Modice & modeste melius est vitam vivere:

Nam si ad paupertatem admigrant infamie

Gravior paupertas fit, fides sublestior.

Solet alio nomine hæc mala fama etiam vocari ignominia, dicta quasi sine nomine, ut ignarus & ignobilis. Infamem tibi ob oculos sistas, & reperies ipsum honestatis ac existimationis nomen desinere habere, omnibusque ulterius honoribus & ornamentis indignum censi. Reperies omnes bonos ac honestos ejus præsentiam atque conversationem fugere, eumque ideo a consortio virorum gravium secludi, reperies infamiam cum totum, totum sicut corpus umbram ubique sequi, eamque ob causam omnimoda eum fide destitui. Hujus igitur malæ famæ, quanto gravior, ut in principio dixi, morbus est, tanto nobilior erit ejus in restituendo medela, quam & regalibus suis inscriptam voluere Majestates pariter & Superioritates nostræ territoriales, exercitio modo, tametsi rarius, Magistratibus a se dependentibus derelicto. Hinc nemo fortean vitio mihi vertet, si thema hoc præsens, uti jucundum, ita gravissimum amplissimumque Dissertationis Inauguralis loco publicæ eruditorum censuræ submisero, tametsi sciam idem antè me prolixiori paulo tractatu profecutum esse ex recentioribus Dn. Jacobum Ottonem, J. U. D. celeberrimum, Comitem Palatinum Cæsareum, ac Lib. Imper. Reipubl. Ulmenf. Advo-

Advocatum felicissimum: Semper quippe, messe licet diligentissime peracta, spicilegium restare credo. Revoco interim omne id, quod minus congrue a me positum quilibet inveniet, reformo quod mihi contra jus inductum demonstrabitur. Protestor Superioritates contra territoriales me aliquid non posuisse, multo minus iis quid detraxisse. Theses quippe ex variis, nomine Autorum minime suppresso, in cathedram Juridicam publicitus introducere sategi, occupandæ certe famæ nescius, id solum profitens, ut spartam solennem, Magnificæ Facultatis, a qua mihi injuncta est, indultu, semel susceptam complexerem. Noli itaque, Lector optime, verba ab aliis captata iniquius in peiores raptasse partes: Tibi sat erit meum tandem thema-
te perlecto probasse propositum; Ad quod ex vo-
to peragendum mihi assistat

JEHOVA.



THES. I.



THESIS I.

Differtationem quandam conscripturo de jure restituenda fama, sistit se statim ab initio ejus definitio. Quolibet enim res, sive substantia fuerit sive accidens, tunc plane cognoscitur, quando perfecta ejus definitio, proque materia subjecta etiam divisio habetur: quia per illam rei essentia compendio quodam oculis subjicitur; per hanc vero singulae partes sub cognitione distincta memoriae insiguntur, *Flacc. lib. 1. Apodict. c. XX. lib. 4. v. 14.* Est autem definitio ex Philosophorum traditis vel nominis, vel rei. Verum non multum ero sollicitus de nominali explicatione, scilicet verborum ac terminorum in Rubrica hac occurrentium, utpote cum ilippo etiam atque tonsori noti. Quem enim later, quid primum, quod nobis occurrit, vocabulum, **JUS** sc. in jure nostro Civili denotet, quotque inibi modis venire soleat? cum varias ejus significationes subministrant non solum *l. 1. l. 6. l. 7. l. 11. § 12. ff. de just. et jur. Rubb ff. de in jus voc. Si quis in jus vocat. non ter. In jus vocat. ut eant. Si quis jus dicenti non obtemper. Quod quisque jur. in alter. stat. Ne quis eum qui in jus vocab. vi exim l. 34. ff. de pact. l. 8. ff. de reg. jur. §. 6. Inst. de capit. demin. sed etiam l. 54. l. 55. § l. 59. l. 62. ff. de reg. jur. ubi in genere facultatem jure sibi concessam, l. 2. ff. de his qui sui vel al. jur. ubi potestatem Patriam ac Dominicam, §. 2. inst. de reb. corpor. et incorp. ubi rem incorporalem, l. fin. ff. de aq. et aq. pluv. arcesd. ubi titulum juris §. 5. C. quorum appellat. non recip. ubi veteres Leges Romanas, Constitutionibus oppositas, pr. Inst. de act. ubi remedium juris, l. 2. §. 16. ff. de orig. jur. ubi potestatem, jus denotat: quae etiam significatio hujus est loci.*

Th. II. Altera Rubricae vox est **RESTITUTIO**, quam a praepositione **RE** & **STATUO** petitam esse, non notior est Grammatica notatio. Unde etiam restituere est modo reddere, juxta illud *Comici* vulgatum: *Gnatum ei restituit: modo in pristinum statum reducere, secundum Justini* proteritum:

B

tum:

tum: Hunc regno a patre privatum filius restituerat. Hinc etiam Restitutio in integrum, revocatio atque in priorem statum repositio eorum, quæ abstulit læsio, (ex qua etiam causa quas totus Quartus liber ff. recenset, illa facta sit,) vel ad alia quædam condemnatio, dicitur in *l. 22. l. 35. l. 75. §. 1. ff. de verb. signif. l. 1. ff. de in integ. restit.* Significat etiam dare, tradere, reficere, tollere, redhibere, præstare ab initio, restaurare, redintegrare, reformare per jura var. confer. *Colleg. jur. Argentor. Mejer. ad Tit. de restit. in integr. n. 1. & 2.*

Th. III. Tertium & ultimum vocabulum est FAMA, quæ a fando deducta quibusdam videtur, quasi fama fando & loquendo permeet linguas & aures hominum; ut fit, quicquid de aliquo sive in bonam sive in malam partem divulgatur. Verum, ut ut vocabulo huic sua ut plurimum qualitas ex additione boni vel mali tribui soleat, atque sic fit vocula media, ut sæpius etiam in deteriorem partem suam inveniatur: (v. g. *l. 7. pr. ff. ad Leg. Jul. Majest. l. 28. §. 15. ff. de pæn.*) Sic famose actiones dicuntur, quæ justam ignominiam condemnatis irrogant; Et generaliter omnium judiciorum publicorum accusationes. Sic dicitur famosum crimen, *l. 21. ff. de testib. famosa causa, l. 7. ff. de solut. famosus libellus l. 10. ff. de pæn.* Plerumque tamen in bonam partem in jure nostro sumitur, eademque est cum existimatione. Sic incolumis fama dicitur, cui integrum est nomen, illæsaque existimatio. Et in hoc sensu *Callistratus in l. 5 §. 1. ff. de extraord. cognit.* definit, Dignitas (id est, prout explicat *Donellus lib. 18. commentar. c. 6.* conditionis personæ cujusque, qua quis non indignus iis rebus, quæ in suo cuique ordine tribui solent,) illæsa statum, legibus ac moribus comprobatum. Et paulo aliter *Puffendorff. in Elementis suis Jurispr. Univers. lib. 1. defin. 9.* Valorem personarum in vita communi, secundum quam aptæ sunt cum aliis personis exæquari aut comparari. Et huic e diametro opponitur infamia: quæ definitur, læsæ Dignitatis qualitas reprobata, quantum ad vitam & mores: argumento sumto a contrario sensu. *vid. Perez. prælect. in Cod. Tit.*

Tit. ex quib. caus. infam. irrog. num. 1. Aliter definiri potest, per *l. 1. §. 2. ff. de postul. juris publici* autoritate alicui imposita ignominia. Et paulo aliter *ex l. 14. & l. 20. C. ex quib. caus. infam. irrog.* quod sit contracta ex turpi facto macula. Male igitur a quibusdam per famæ & existimationis deminutionem definitur; nisi hoc per consequentiam intelligere velis, quatenus illa macula sine dignitatis deminutione non valet, *juxt. ante cit. l. §. 1. ff. de extraord. cognit.* quemadmodum calor non est deminutio frigoris, licet absque ea non existat in subjecto, ubi & frigus est.

Th. IV. Exactis jam iis, quæ spectant ad definitionem nominalem, pergo ad realem; quæ potest formari talis: quod sit actus legitimus, quo vita turpitudine & infamia laborantes, causa prius cognita, existimationem, honores, ordinem & cætera antea amissa, per dispensationem, imo & gratiam, veniam atque indulgentiam summi Principis (sive ab illo ipso, sive etiam ipsius delegato,) recipiunt. Vel paulo aliter & brevius definiri potest, quod sit actus, quo fama & existimatio amissa restituitur, quam quis ob delictum ac factum turpe & probrosum amisit: *juxta l. 1. & l. 4. §. ult. l. 20. ff. de his qui not. infam. l. 8. ff. quod met. caus. c. infames 6. quest. 1. l. quoties C de dignitat. Freber. de existimatione, lib. 3. c. 1. & seqq.* Solet etiam alias a Dd. restitutio gratiæ ac misericordiæ appellari.

Th. V. Cum autem scire rem sit per causas cognoscere, utpote quæ omnium scientiarum fontes sunt, *Ram. dial. 1. c. 3* proximum erit, ut & illarum indagatiōi metho-dice porro inhæreamus. Causam ergo efficientem quod attinet, dividi ea a Philosophis solis in remotam & propinquam. Remota, quæ prima etiam audire solet, est Deus T. O. T. Q. M. Rex Regum, ac Dominus dominantium, ut qui omnium rerum causa & finis, fons omnis juris, recti & æqui omnisque clementiæ author est, cujus proprium est condonare; hominis vero justitiæ lancem recte dirigere, ac pro ratione circumstantiarum pœnam imponere, mitigare, tol-
B 2
lere,

lere, abolere. Nonne Populo Israelitico idololatria & blasphemix pœnam vel decies condonavit? Nonne Davidi Regi homicidium pariter ac adulterii pœnam remisit? Nonne Ninivitis maximorum criminum reis pœnæ jam decretæ veniam clementissime indulxit? Nonne regem quoque Manassæ, monstrum illud hominis, ac bestiam omnium immanissimam sceleratissimamque, postquam culpam deprecatus esset, in gratiam receptum, captivitate liberatum regno restituit? de quibus exemplis conferatur. 2. Paralipp. 33. cum seqq. 2 Reg. 12. & 13. Jon. 4. Num. 14. 22. &c.

Th. VI. Causa propinqua universalis totum nostrum Romano Germanicum Imperium penetrans est τὸ Κόγιον sive Majestas, id est summa, perpetua, legibusque soluta potestas Imperatoris vel summi principis, solo Deo minor, velut a quo immediatam dependentiam habet ac Imperium accepit Nov. 82. cap. 4. l. 1. C. de vet. jur. enucl. l. fin. C. de ll. Sic enim Antoninus Augustus in l. 1. C. de sent. pass. & restitut. ad Licinianum in Insulam deportatum inquit: Restituo te in integrum provinciæ tuæ: (& adjicit,) ut autem scias, quid sit in integrum restituere, honoribus & ordini tuo & omnibus cæteris te restituo, cui add. l. 10. eod. Unde etiam specialiter a Carolo V. Principibus, aliisque Statibus Imperii fuit concessum famæ ac honoribus restituere rusticos seditiosos, welche durch Kånserliche Majestät auf dem Reichs-Tage zu Augspurg. (Anno 1525. §. und ist verohalben. 4. pag. 190. & Reccess. Imperii, de Anno 1526, zu Speyer. §. und wiewohl. 6. p. 193.) wiederum in den vorigen Stand ihrer Ehren gesetzt/ qualificirt und geschickt gemacht/ Rath und Gerichte zu besuchen/ Kundschafft und Zeugniß zu geben/ Amt zu traagen &c. Soli igitur Imperatori (cujus actus, quæ tales alterius juri non subsunt, ita ut alterius voluntatis humanæ arbitrio irriti possint reddi, sive cujus actus jure proprio ac per se subsistunt. Grot. lib. 1. c. 3. §. 7. n. 1.) est reservata hæc famæ restitutio, adeoque unum ex reservatis Principis, arg. Nov. 89. cap. 9. c. per Venerabilem. x. qui filii sint legitimi, quæ soli eidem

eidem directo competunt, quemadmodum etiam potestas legitimandi, aureorum annulorum, tabelliones creandi: ut not. *Jacobin. de S. Georg. in sua investitura, in verbo Dux. §. dubitatur etiam num. 4.* quapropter etiam audire posset ex *arg. cit. Nov.* singulare donum Principis. Est unum ex regalibus hoc jus, quæ quasi sanctum sanctorum, in quod nemo intromittitur alias, nisi solus princeps: indeque a rege dicta, utpote jura Imperii summo Imperatori ejusque fisco in signum præminentia & immensi laboris, quem pro Imperio sustinet, præmium ad conservandam Imperii Majestatem concessa. Confer. *Borcholt. ad c. un. quæ sint regalia, n. 2. Vultej. de feud. c. 5. n. 7.* Et hoc jus tanti fecit Carolus V. ut Senatui Mediolanensi insignia alia concedens jura, hoc tamen, ut & jus dandi saluum conductum, specialiter ex eperit, prout ex *Bodin. lib. 1. de Rep. cap. 8. & 10. testatur Linn. l. 2. c. 9. n. 143. p. 136.* Quemadmodum enim ad Principem supremum restitutio spectat, ita & pœnarum irrogatarum remissio, juxta *l. 7. & 10. C. de sent. pass.* Illi enim soli concessum sententias judicum revocare, non vero ipsis judicibus, qui, pure quippe instrumentaliter se habentes, dicta sententia officio suo functi sunt, *l. 14. ff. de rejudic.* Nemo igitur notas infamiae abstergere potest, nisi solus Imperator sive summus Princeps, vid. *cap. cnum inferior. x. de Major. & Obed. Molin. in Consuetud. Paris. tit. 1. §. 3. Gloss. 4. n. 16. Reink de R. S. & Eccl. lib. 1. cl. 4. c. 19 n. 126. & seq. p. 483. & Class. 5. cap. 6. num. 108. p. 613.* qui solus aliquem famæ restituere potest, ut bonos inter cives recipiatur.

Th. VII. Alii causam hanc universalem constituunt jus Civile Romanum, moti præprimis *l. 27. pr. verb. vel in integrum restitutio ff. de pœn. l. 1. §. pon. ff. de postul. §. 1. §. quib. mod. jus patr. potest. solv. l. 1. §. fin. ff. de quest. quis add. Reink. de regim. Sec. & Eccl. lib. 1. cl. 5. c. 6. n. 131. p. 616. Vultej. n. Fend. 5. conclus. 2. num. 4.* Verum sciendum, illos aut necessario per leges Romanas intelligere debere summum Majestatis jussum, sub quacunque tandem forma ille consideretur: omnes quippe Jctorum leges, quæ prostant, suas fecit Justinianus, utut

multarum Reip. adhuc libera rudera sectata fuerint, quod diversis ex ff. locis, ubi Jcti populariter loquuntur, deduci possit. Vel opus habere summo Imperatore, quod tamen absurdum, adjungere Majestatem quandam legalem, sive realem aut sociam, quod tempore Justiniano ex corpore ejusdem juris nemo valebit. Hinc *l. i. §. fin. ff. de quasi. expresse de principe loquitur, cui lex Romana tum erat subiecta & ab eodem dependebat. Idem mihi iudicium esto de l. 27 pr. de pan. & cit. Author.* Solal. *l. i. §. pen. ff. de postul. negotium quadantenus facessere videtur, ex qua etiam Sprengerus in suis Instit. juris publ. l. i. c. 4. p. 14. probare conatur, Majestatem non abdicative & privative, sed communicative sive cumulative, contra expressum Taciti testimonium l. i. c. i. n. 3. & l. i. c. 9. v. 5. Annal. in Augustum translata esse. Verum distinguendum ipsi cum aliis idem in nostro casu sentientibus fuisset, inter modum administrandi Imperium externum. & rationem status intrinsecam sive formam Imperii internam; ad illum quod attinet, lubentes damus, Leges Civiles in nostro Corpore juris aliquando reflexionem habere ad statum Aristocraticum vel Politicum, quem tamen principaliter non intendunt: cum potius omne, quod in illis Senatui ac populo permittitur, ab ipso non autoritative & independenter, sed respective, dependenter, ac intuitu aut spe rati habitationis Principalis, effectui datur. Atque hoc modo videtur interpretanda *cit. l. §. pen. ff. de postul. cui add. arg. l. i. §. 1. ff. ad L. Jul. Maj. & l. 24. ff. de captiv. & postl. revers.* Confirmat idem Quintil. *l. 3. expresse scribens: Et hoc sub Domitiano Senatui licuisse, apud quem, ut apud Principem, locus clementiae & deprecationis fuit. Pleraque enim potest Senatus quae & Princeps, l. quo minus ff. de flumin. l. i. §. 2. ff. l. 9. ff. de legib.**

Th. VIII. Olim quidem, Republica nondum per Principem occupata, hoc jus restituendi Senatui competiisse fere indubium videtur. Totum autem Senatum, non Consulem solum, cujus exempla Romanae historiae sat multa praebent, & inter alia exemplum desertorum in Cannensi clade, quos
M, Mar-

M. Marcellus Consul, ad quem permissu Lentuli legatos abolendæ ignominiz causa miserant, ut aut eis liceret mori, aut pugnare cum hoste in expugnandis Syracusis, restituere noluit, sed respondit, id nec juris nec potestatis suæ esse; certe Senatui se scripturum & de sententia patrum facturum omnia. Senatus autem ita decrevit: Milibus, quod ad Cannas commilitones suos pugnantes deseruissent, Senatui nihil Republicam esse committendam &c. Præter autem & quilibet Magistratus inferior ordinarius, quippe respectu Majestatis solummodo, ut dictum, instrumentaliter se habens, nec in Repub. libera nec occupata hoc efficere potuit, hi erant custodes juris, nec ipsis a scripto jure vel latum unguem recedere licitum. Hoc autem fit extra juris normam speciali ex principis indulgentia. Itaque, ait *Ulpian.* talia Prætorum decreta, quibus gratiam infamiz inconsulto principe faciant, utpote sine dubio gratiosa, non servari, nec quicquam reo proficere, nisi quatenus (uti *Ulpian.* addit) ex officio suæ jurisdictionis Prætor subvenit; veluti si quis minor aut absens, aut dolo adversarii deceptus sit, quibus casibus restitutionem dat, lite contestata causaque cognita. Hujus enim rei discretio pertinet ad Prætores. Quare si idem Prætor aliquem famoso judicio condemnaverit, & mox eundem ex aliqua illarum causarum, quæ restitutionem merentur, in integrum restituerit, poterit hic infamiam effugere, *l. 1. §. 10. vers. An. autem. ff. de postul.* Quemadmodum etiam apud canones contra facta infamia ex sententia ex communicationis tollitur per absolutionem, *c. 1. & per tot. 3. quest. 1.* Imo si hodie ex statuto provinciali vel locali, civitatis aut alterius alicujus Magistratus Politici, fama alicujus est deminuta, hoc casu etiam ejus restitutionem per Magistratum illius loci fieri posse non absurde si auitur: *ex cit. arg. l. 1. §. 10. & ibi Brunnem. ff. de postul. Freber. de existim. & fam. l. 3. c. 30 n. 8. in fin. p. 637. Panormit. de regal. c. 2. n. 115. Felin. inc. cum te 23 de re judic. p. 629 ubi idem p. 634. quod mox ante de Imperatore & Senatu a nobis dictum, de Pontifice & collegio Cardinalium affirmat add. Peregrin. in tract. de jure fisci, l. 1. tit. de iis qui jure fiscalia habent. n. 54. pag. 16.*

Th. IX.

Th. IX. *Causam efficientem propinquam particularem repræsentare possunt Principes, Comites, Barones, Nobiles, uti & Civitates Imperiales in suis territoriis: Nam & hi famæ ac honoribus restituunt, eaque restitutio intra limites cujusque territorii sui, non extra, vires obtinet, idque vi superioritatis territorialis, cui hoc jus adherere statuunt Colerus, Harprecht, Limneus, Carpzov, aliisque plures juris publici scriptores. Obstare quidem videtur Barthol. sibi aliquo modo contrarius in l. 1. §. 10 pr. ff. de postul. & in l. 7. num. 13 vers. quero quis possit. ff. de publ. judic. Verum vel (juxta Casp. Vall. in l. 3. ff. de jurisdic. n. 24. ex quo etiam refert Freber. l. 3. c. 30. num. 8.) ejus dictum non est verum; vel antedicta distinctione adhibita responderi potest, quod princeps summus possit plenarie apud omnes restituere adversus infamiam jure communi Imperiali irrogatam; Principes autem aliique Status Imperii non nisi intra suum Principatum atque territorium: quia jus commune Imperiale extra tollere aut abrogare nequeunt, arg. l. fin. ff. de jurisdic. Atque hæc forte quædam inter alias ratio esse potuit, quamobrem in priori seculo causa seditiosorum rusticorum, item Civium Bambergensium, qui se juxta *Limn. loc. inf. citat. n. 147. ex Auth Symphorem. 10m. 4. vot. 30. n. 303.* tum rusticis associarunt, seque, ut sic loquar, rusticari, (zu Bauren machen) passi sunt, in Comitibus tractari debuit, utut *Arnif. 2. relect. polit. cap. 6. sect. 5. num. 84.* contendat, exemplo hoc potius firmari, Imperatorem non solum, sed cum Statibus Imperii famæ restituere posse, a quo ex toto non videtur alienus *Limneus de jur. publ. l. 2. cap. 9. num. 144. p. 137.* Etenim, inquit ille, seditiosis istis rusticis, Ferdinandus, Caroli V. frater & Vicarius, in dictis Comitibus, uti eorum *Recess. §.* Unde ist *derhalben. 4.* innuit, non tantum ex præscripto Statutum veniam delictorum fecit, & eosdem ad honores & officia restituit, sed etiam cum pauciores Statuum in Comitibus præsto fuissent, quam ut eorum autoritate decretum satis videretur munitum, sequenti Anno 1526. in Comit. *Spirens. §.* Zum andern. frequen-*

quentiori comitatu denuo propositum, & arctius firmiusque sancitum fuit. Qua repetita confirmatione opus non fuisset plurium Statuum, si solius Imperatoris potestas idem efficere potuisset. Verum sciendum, delictum tunc temporis non solum Imperium, sed & Statuum simul Superioritatem territorialem spectasse, in quam etiam rebelles sese exhibuere rusticici. Ut ergo hoc modo & factum erga se commissum remitterent Status, ad quod in viti alias cogi non poterant, opus erat tunc temporis Comitibus Universalibus, quo res totaliter pristina libertati restitueretur. Erat igitur tunc, secus ac *Arnis*, & *Limn.* æstimant, casus maxime specialis.

Th. X. Absoluta, ut reor, erit causa efficiens principalis tam universalis quam particularis: possem nunc quædam movere de causa instrumentali, eamque iterum ex natura correlatorum dividere in universalem & particularem. Illa a Principis summi honoratis sive delegatis, qui Sacri Palatii Cæsarei, item Consistorii vel Palatii Lateranensis aut Lateranensis, ut alii volunt, (quod quasi a latere dictum; *conf. Calvin. in suo Lexic. vocab. Laterani p. 507.* item Aulæ Cæsareæ & Imperialis consistorii Comites, & Germanico idiomate *Keyserliche Hof- u. Pfalzgraben* audire consueverunt, peragitur. Hanc perfici dixerim a cujuslibet Principis summo Consistorio, aut alio, cui specialiter per suum districtum hoc privilegium concessit. Tametsi quoque constet, aliquando a summis Principibus hanc dignitatem certo alicui officio annecti, cumque eodem ad successores devolvi. Hinc præter Barones, quos recenset *ante citat. Dn. Otto, in tract. suo de legitimat. ac restitut. fam. infam.* Rector Universitatis Kihlonensis ex privilegio Cæsareo legitimandi famæque restituendi comitiva pollet. *tr. 7. th. 8. p. 17.* Eadem potestate gaudet Facultas Jctorum in Universitate Giessensi, *referente eod. tr. 2. th. 11. §. 33. p. m. 41.* Idem jus Rectori Academia Helmstadiensis ex privilegio Maximilianii de Anno 1579. sub dato Pragæ 9. Maji & Decano Facultatis Juridicæ in Academia Marpurgenfi ex privilegio Fridericilli vindicat. *Hermes in Fasciculo suo juris publ. cap. 6. n. 13. & ult. edit. prim. p. 52.*

C

Th. XI.

Th. XI. Sequitur causa, quæ efficientem movere potis est, impellereque Principem ad privilegium restitutionis elementer largiendum, quare & finalis suo modo locum sustinere meretur. *Eam autem* (præter remotam, Majestatis sc. Imperialis splendorem, qui ex hac famæ restitutione multo major multoque clarior elucescit, & remotissimam, quam gloriæ Dei, utpote omnium nostrarum actionum fundamento vid. can. non liceat. 3. caus. 26. quest. 5. can. cum Paul. 26. caus. 1. quest. 1. adscribo;) tanquam propinquiorem considerarem denuo tam ex parte restituentis, quam ex parte restituendi. *Ex parte illius*, Principis intellige, restitutionis causam impellentem ejus esse clementiam, humanitatem ac benevolentiam exissimo ductus, auctoritate Nov. 89 præfat. & cap. 1. ibi: quomodo nos humane & c. Nihil enim est magis, quod Principes ac Imperantes commendat, quam virtutes hæc commendatæ, & ut Justin. inquit, l. fin. C. de donat. inter vir. & uxor. & l. 23. pr. C. de nupt. Nov. 193. pr. nihil tam peculiare Imperialis Majestatis, quam clementia & humanitas, per quam solam Dei servatur imitatio, cit. l. fin. C. de donat. inter vir. & uxor. Ita enim credimus, ejusdem benevolentiam ac circa genus humanum nimiam clementiam (quantum naturæ nostræ possibile est,) imitari, qui quotidianis hominum peccatis semper ignoscere dignatur, & pœnitentiam suscipere nostram, & ad meliorem eam statum deducere. Quod si circa nostrro subiectos Imperio nos etiam facere differamus, nulla venia digni esse videbimur. Imo præstantissima inter homines bona sunt justitia & benignitas, quarum prior suum cuique æqualiter tribuit: altera vero ad misericordiam decurrit. Hæc quasi sunt Imperantium propria, eosque pares faciunt DEO, in quantum natura possibile, Gloss. in l. Imperialem. 22. C. de Nupt. add. l. ult. C. de donat. inter vir. & uxor. Hinc etiam titulum illum von Gottes Gnaden tenent, juxta Besold. in Thes. Pract. verb. von Gottes Gnaden p. 329. ut & Speidel. in Notab. jur. conferri etiam potest Limm. l. 1. c. 6. n. 15. 16. 17. Inde quoque nomen adepti, clementissimi audiunt: Ernest. Cothman, ad rubr. C. Justin. verb. Clemencia

tia

ia nostra n. 13 Hæ sane virtutes ornare firmareque Imperium: hæ servare Rempublicam; hæ pulchre noverunt gubernare vitam; hæ roborant thronos Regum; debent tamen eadem esse temperatæ severitate, quia Magistratus prudens etiam severus est, *Prov. 20. v. 28.* Et clementiores esse debent, absque tamen detrimento publico, *vid. l. 19. ff. de offic. pres.* Clementiæ vero proprium est, pro rerum, temporum & personarum circumstantiis atque varietate, stricti juris rationem mitigare, & ad misericordiam potius, quam ad severitatem deflectere. Cujus etiam sat luculentum testimonium præbet *Recess. Imper. de Anno 1526. in §.* Es soll sich auch eine jede Obrigkeit/ nach Gelegenheit eines jeden Unterthanen/ dermassen erzeigen/ damit sie/ so viel sie die immer leiden will/ mehr Gnad und Gültigkeit/ dann die Schärffe und Ungnade spüren und finden möge. *Add. Reinking. de Reg. Sec. & Eccles. lib. 2. Class. 1. c. 3. n. 14. p. 824.*

Th. XII. Hicæ summi Principis virtutibus *ex parte restituenti* succedit *Æquitas ac Utilitas ex hac restitutione in Rempublicam promanans*, cum æquum sit, dare veniam delictorum pœnitentibus, quantum fieri potest, eam petentibus. Deinde quia Reipublicæ expedit, abundare viris honestis, nec multos in civitate conspici infamia laborantes. Accedit bona & honesta conversatio triennii; si scilicet continuo triennio bene & honeste quis vixerit, ut tum videatur satis atque satis emendatus, etiam si ante aliquid peccaverit, vel de aliquo peccato suspectus fuerit, *pæt. text. in C. Hinc autem nobis 2. ibi: At tamen sufficiti meliorem purgationem delictorum & ad virtutis argumentum triennialis temporis testimonium Nov. 5. de Monach. quem textum Dd. faciunt singularem & notabilem.* Accedit abdicatio prioris anteque actæ vitæ, morumque emendatio, cum hoc solum regulariter sufficiat ad abolendam levem, levio rem, & levissimam maculam, & utramque infamiam. Et hoc etiam *Freherum l. 3. de infam. c. 30. n. 1.* adducit, qui monet: Quemadmodum vitæ morumque levitate, improbitate, imprudentia, & existimationis suæ incuria, mala fama apud populum facile incurritur, ita rursus mutatis moribus efficiendum & impe-

erandum esse, ut melius de ipso homines existiment. *Moliam* item hoc movet, qui dicit, quod infamia facta, sive juste injuste fuerit concepta, ad effectum ut in futurum ad dignitates obtinendas & alia non noceat, mutatione morum, ad meliorem frugem se recipiendo, justeque ac pie vivendo, tam quoad id, de quo erat infamia, quam quoad alia aboleri & tolli possit, ita ut qui ante infamis erat, & habebatur infamis, deinceps non censeatur. Siquidem Venia adeoque restitutio datur peccatori tantum correcto, unde etiam Deus veniam non dat in errore durantibus, sed se corrigentibus, juxta *c. peccati 5. de reg. jur. in 6. & c. legatur 24. q. 2.* Et peccator post peractam poenitentiam non amplius est peccator: per *c. ferrum 18. dist. 50. c. 2. de consecrat. dist. 3. & c. Eam. 7. de rescript. Menoch. 2. Arb. Jud. Cas. 264. n. 21.* Accenseri in super causæ impulsivæ ex parte restituendi poterit commiseratio ætatis, meritum aliquod subsequens, vid. *l. 1. ff. de postul. l. 23. C. de nupt. l. 5. §. fin. ff. de re milit. Freher. de exilim. l. 3. c. 30. n. 10.* Sic lege Julia de ambitu damnatus si alium ejusdem criminis reum detulisset, & convicisset, in integrum restituebatur *l. 1. ff. ad leg. Jul. de ambit.* Eodem modo transfugæ alios indicanti parcitur, ut restitutio in integrum datur ex rescripto Adriani *l. Non omnes §. fin. ff. de re milit.* Elegans quoque exemplum hujus restitutionis Adeodato cuidam a Theodorico rege data extat apud *Cassiodorum lib. 3. Variar. c. 46.* ubi ait; Fas esse Principi maculosas notas viriatae opinionis abstergere, & supplicanti hac lege sex mensium exilium irrogat, ut eo tempore exacto, nulli sub qualibet interpretatione liceat cuimen infamiæ obijcere: Sed tunc patriæ rebusque suis omnibus reddatur, liberum jus omne habens, quod primitus, idque sub pœna trium librarum auri &c. Plura exempla invenies apud prædict. *Freher. loc. cit.* Hujusmodi restitutio ob meritum adhuc hodie in variis Italiæ Provinciis frequentatur, ut bannitus, si alterius banniti caput Magistratu afferat, eo ipso patriæ restituatur.

Th. XIII. Consideratis causis externis, efficiente sc. & finali, sequi deberet earundem effectus. Notum enim est axioma

oma Philosophorum, quod causa efficiens & finalis eundem, habeant effectum. Verum eundem, absolutis causis omnibus, tandem subjiciam, ut huc propius pertineat. Pergo igitur ad materiam, quæ communiter a Philosophis dividi solet in materiam in qua & circa quam. Illa alio nomine solet appellari subiectum. Hæc vero objectum. Subiectum quod attinet, consideratur illud vel active vel passive. Active consideratum subiectum verum & formale est subiectum, quod in hac restitutione constituit Imperator sive summus Princeps, penes quem est το κύριον, qui summam in Republica habet potestatem, & qui in hoc mundo superiorem agnoscit neminem. Verum cum de eo jamdum in th. 6. actum, ideo ab ulteriori ejus discursu desisto: Hoc solum superaddito, quod Imperator illud jus per totum Imperium exercere possit vel *immediate*, quando Ipse libello supplici oblato rogatus desideranti famæ splendorem restituit: vel *mediate* per eos, quibus singulari beneficio hanc facultatem nominatim concessit; quales sunt *non solum* ab ipso immediate creati Sacri Palatii Comites, *sed etiam* alii Principes; quibus per singulare privilegium etiam ipsum jus creandi Comites Palatinos, illosque instruendi hac facultate restituendi concessit, prout constat ex privilegio a Carolo V. concessio Comitibus de Ortenburg/Liberis Baronibus in Freyenstein und Carlspach/ una n. & eadem res a diversis potest dependere principiis, idemq; ex pravia concessione possunt, quod ipsimet Principes, Braburta, secundum *Dd. in l. Gallus 29. S. Et quid si tantum s. ff. de lib. & posthum.* De reliquis Imperii Principibus & territorii Dominis res in aprico videtur per ea, quæ diximus *supra in th. 9.* Contra quæ nil facit, quod legitur apud *Speidel. notab. jurid. histor. polit. verb. Erzhertzog & Limn. de Jure publ. lib. 5. cap. 2.* a Carolo V. hoc famæ restituendi jus per speciale privilegium Archiducibus Austriæ, qui tamen extra omnem controversiam Domini territoriales suarum provinciarum & regionum sunt, esse concessum: Cum his reponi posset, partim quod ibid. non nova Privilegii concessio, sed hæctenus exercitorum potius confirmatio continetur.

tineatur. Tametsi etiam, si conjectura satis probabilis me non fallit, salvis principiis juris nostri publici quis verba privilegii interpretari posset, ut, idem mihi importarent, atque supra memorata gratiosa concessio ab eodem Invidiosissimo Carolo V, Comitibus ab Ortenburg facta, vi cujus Serenissimi Archiduces Austriae omnes & singulos suos subditos famæ restituere queunt, pro honore per hoc habendos per integrum Imperium Romano Germanicum, quæ restitutio alias vi Superioritatis territorialis in aliorum Statuum provinciis absque hoc privilegio ita præcise non procederet. Conclusionis loco ad hanc th. referas dubium illud quaesitum; An infamia totaliter, & quoad omnem, quem inufferat infamato, nævum tolli queat? Alii negant, asserentes, quamvis Principes, Comites, Barones, Nobiles & Civitates Imperiales famæ ac honoribus in suis territoriis restituere possint, de quibus dictum *th. 9.* hoc tamen ita restringendum esse, ut, quoad jus restituendæ famæ, infamia juris ab habente potestate tolli possit, non infamia facti, *confer. can. Euphemium 2. quest. 3. Limn. lib. 4. cap. 8. num. 302. Besold. part. 3. num. 117. per tot.* Alii contra sentiunt, plenitudinem potestatis in Principe territoriali urgentes, vi cujus subditorum non erit ullum moliri resistere. Mihi videtur res per distinctionem sapienda, nimirum ut Princeps, cui hoc jus tollendæ infamiæ competit, possit infamiam facti tollere, quoad abolitionem omnis effectus; non vero quoad lituram, ut declaravi in præfat. quæ forte extare poterit in cordibus præstantiorum ac moratiorum. Conscientiæ enim cujuslibet nulla poterit injungi tortura, aut eidem obtrudi id, quod credere non vult intrinsece. Nisi forte dixeris, leges Principis positivas subditum obligare in conscientia, adeoque id, quod Princeps voluit, juri naturæ, gentium, ac positivo non repugnans, in conscientia sua politica justum credere ipsum debere. Quo sensu omne dubium videtur sopitum.

Th. XIV. Subjectum passivum, quod proprie est objectum, constituent personæ, quibus vel irrogata infamia juris
aut

aut facti, vel levis saltem notæ macula adspersa. Unde *Hotoman. in epit. num. 2.* infamiam a nota distinguit, ut nota sit læsa existimatio apud graves viros, sed sine infamiæ effectu: *l. 27. C. de inoffic. testam. l. 2. C. de dignitat. l. 3. pr. ff. de testib. can. conjurationis 35. quest. 2. cap. accedens x. de purgat. canon Nov. 90 cap. 1.* infamia contra fit læsa existimatio cum effectu, id est cum pœna infamibus jure publice irrogata confer. *Deut. 6. 25. vers. 7. 8. 9. aliaque plura scripturæ loca l. 5. §. 1. ff. de extraord. cognit. l. fin. C. de pœn. jud. qui mal. judic.* Statuitur autem hæc duplex ex *l. 25. C. ad leg. Jul. de adulter. l. 4. §. adversus ff. de dol. mal. & met. except. l. 1. C. de stat. & imag.* Alia juris qua hominis existimatio ex delicto suo autoritate legum minuitur per *l. 1. l. 2. l. 4. §. fin. l. 6. & tot. tit. ff. de his qui not. infam. & C. ex quib. caus. infam. irrog.* quæ plane improbos & sceleratos, totique populo tam bonis viris quam etiam deterioribus, notabiles atque in visos reddit. Juris ideo infamia dicta, quod multos juris effectus pariat. Et hæc iterum secundum quosdam vel notabilis est turpitudine *l. 1. §. 5. pr. ff. de postul. vel simpliciter infamia cit. l. 1. §. 7. 8. postul.* Verum hanc difformitatem leges legitime inspectæ non produunt. Quandoquidem §. 7. recte agitur, plane nihil huic differentiæ conforme importat: imo §. 8. nihil novi, sed solum edictum prætorium pristinum melioris enucleationis ergo proponit. Alia facti infamia, quæ non ipso jure & legibus deminutionem existimationis affert, sed pudorem tantum apud viros bonos & honestos fugillat, & famam solum cujusquam gravat *l. 20. ff. de his qui not. infam. l. 13. 17. 19. C. eod. l. 25. C. ad leg. Jul. de adult. l. 12. de decur.* & hæc priore longe mitior, cum non omni prorsus honestatis opinione, ut illa, spoliatur atque exuat; sed ob damna morum & lapsus aliquem, pudorem tantum alicujus gravet, & apud bonos gravesque viros in culpam & reprehensionem vocet, eo quod bonis moribus adversari videatur, cujus etiam exempla sat multa jus nostrum Civile præbet. Facti inde infamia dicta, quod solo facto incurratur, nullos adeo graves juris effectus procreans. Mentionem ejus facit *Ulpian. in l. 39. in fin. ff. de furr.*

verb.

verb. facti ignominiam. Notam nominis, Cicero, & n̄vum honoris eam appellare confuevit. Et alibi futurium atramentum. Hoc enim ejusmodi est, ut neque nigerrimum colorem inducat, neque nullam tamen illinat maculam. Et hanc distinctionem infamiae communiter Dd. contradicentibus licet quibusdam, receperunt, quibus & ego, non tamen indistincte, subscribo, ita tamen, ut cum *Frehero de infam. l. 3. c. 1. n. 9.* utramque speciem tam juris quam facti infamiam rursus suos gradus habere nullus, non sine ratione, dubitem. Pro gravitate enim aut levitate causa, ex qua ortum habet, proque facti pudore & turpitudine infamia facti, modo levior modo gravior existit. Juris quoque infamia pro criminis gravitate, prout quidque indigne gestum est, modo levior modo gravior infligitur. *Confer cit. Freher. l. c. p. 251.* Illa vero infamia impropria, quae pro tali apud vulgum tantum habetur, revera nulla est, adeoque vanae ejus voces attendendae non sunt, *confer. rescript. Imp. Dioclet. & Maxim. in l. 12. §. 1. C. de pen. Magnif. Dn. Struv. S. J. C. exercit 7. th. 21. Carpz. Jurisprud. Forens. part. 2. consil. 6. defn. 14. num. 7. cum 2. seqq.* Quo pertinet cassatio mortis quorundam locorum, molitorum, textorum, tonsorum, opilionum, balneatorum, aliorumque quorundam opificum liberos pro infamibus habentium, adeo ut aliud, quam paternum opificium discere & tractare prohibeantur, *de qua consule Reformation guter Polisey zu Augspurg de Anno 1548. sub tit. von Handwercks Söhnen/ Gesellen c. 37. §. Als auch an etlichen Orthen 1. pag. 472.* Conferri etiam potest *Paul. Matth. Wehner. Observ. Pract. verb. Junst p. 723.*

Th. XV. Laborantes jam infamia proprie dicta, veraque & formali, de ea enim sermo nobis est, & quos scelus aut vitæ turpido inquinat, illis portæ dignitatum & honorum non patent, & civiliter mortui dicuntur; milites esse nequeunt, in fidei commissis non succedunt, a torneamentis & ordine aurei velleris excluduntur, ad feuda non admittuntur, nobilitatem amittunt, ad duellum provocari nequeunt, *Freher. de existim. l. 3. c. 25. n. 19. & ex hoc Ekholt. ad tit. ff. de his qui not. infam.*

infam. §. 13. Non tantum ab obtinenda dignitate, sed etiam ab obtenta removentur *l. 3. C. de decur.* Imo tantum abest, ut ad dignitates eis liceat aspirare, ut a cætu etiam honestiorum segregentur, neque eo in loco liceat habitare eis, ubi Princeps degit, vel aulam ejus ingredi *juxta l. 2. C. de dignit. l. 3. C. de re milit.* Ad dignitates autem jam promoti, si infamiæ accusantur, dignitatum titulos usurpare non possunt, donec ista exceptio fuerit discussa, discutienda a. est intra tres menses, *l. un. C. de reis postul. l. 7. ff. de muner. & honor.* & nisi tunc probatæ causæ fuerint, electi suis fungentur dignitatibus, & accusatores repellentur. Porro non possunt infames postulare vel advocare in judicio, nec accusare, assidere, nec judicare, neque legati esse, munera tamen privata & extraordinaria sustinere possunt v. g. tutelam gerere &c. Quatuor ergo potissimum effectus infamia habet, quod repellat a dignitate, testimonio, querela & inducat querelam. *confer. Tholos. Syntagm. Jur. Univers. l. 31. c. 29. n. 11. Marquard. Freher. de infam. l. 3. c. 22. Magnif. Dn. Struv. S. J. C. exerc. 7. th. 17.*

Th. XVI. Et tales, quales jam delineavimus, fiunt ac declarantur tribus modis: A lege scripta, a sententia judicis declaratoria, a moribus diversorum locorum. Quam distinctionem elicere licet ex *Ulpian. in l. 42. ff. de verbor. signif.* ubi exemplis etiam eam declarat *confer. ad cand. Matth. Stephan. ut & David. Magir.* Aliter paulo ab aliis solet distingui hæc infamia, quod sc. imponatur alicui vel ex edicto Prætoris, vel lege, vel sententia Judicis: Prætoris igitur edicto, ut inde initium veri objecti nostri faciamus, infames sunt sequentes: 1) Miles ignominie causa expressa ab exercitu dimissus *l. 1. pr. l. 2. pr. ff. de his qui not. infam.* quo etiam ex rescripto Imperatoris Hadriani referre mihi licet militem, qui impatientia doloris, aut tædio vitæ, morbo, aut pudore, aut furore correptus, se ipsum vulneravit, vel alias mortem sibi conscivit *l. 6. §. 7. ff. de re milit.* quia miles, quam statim in nuntio est relatus, subque vexillum receptus, non amplius est sui juris, sed totus ad Rempubl. spectat. Quibus adde mi-

D

litem

litem exauctoratum, vel cui insignia militaria detracta sunt l. 2. §. 2. ff. *De his qui n. i. vers. Sed & si eum.* Porro quoque adjice militem lege Julia de adulteriis damnatum c. l. 2. §. 3. eod. Denique etiam huc refero militem, qui prædia conducit l. 35. C. *Locat. vers. jubemus itaque* quibus hodie annumerari potest quilibet miles ob delictum vel crimen sacramento solutus vid. *Baltax. Ayala de jure & officiis bellicis & disciplina militari lib. 3. c. 6. n. 6. p. 328.* 2) Lenocinium faciens, l. 1. vers. *qui lenocinium & l. 4. §. 2. ff. d. h. qui n. inf.* quia hoc facere, non minus est, quam corpore quaestum facere l. 43. §. 6. ff. *de rit. nupt.* Hujusmodi autem quaestum facientes in numerum & ordinem facti infamia laborantium pertinere, deinceps parebit.

3) Artem ludicram quaestus gratia exercendi in scenam atque theatrum prodiens cit. l. 1. vers. *qui artis de his qui;* Theatra enim *Chrysostomo* definiente sunt, pestilentiae cathedrae, incontinentiae gymnasia, luxuriae officinae, impudicitiae orchestrae, fornae denique Babylonicae. Recte igitur infames internumeratur, quae ea conscendit, cum legibus Divinis, honestati ac pudori naturali adversetur. Eum autem intelligo, qui revera prodiit, scelus enim se habet, si operas saltem suas locavit ad artes ludicras exercendas, & tamen non prodiit l. 3. ff. *de h. q. n. i.* Deinde quoque excipitur is, qui non quaestus, sed virtutis gratia, quod accidit in athletis, in publicum prodeunt l. 4. ff. *cod.* 4) Calumniae, (quod vocabulum per malitiosam & mendacem infamationem explicat *Nonius*, quo cum fere consentit *Marcian. in l. 1. §. 1. ff. ad Sanatus & Turpill. Cicero* autem i. offic. per callidam & malitiosam juris interpretationem exponit,) aut pravaricationis, quae consistit in verorum criminum absconsione, collusionem cum reo, falsarum accusationum admissione, propriarumque dissimulatione: confer. *Catanensis comment. 1.* nomine in publico iudicio commissae condemnatus cit. l. 1. vers. *qui in iudicio*, ob factum dolosum, idque iusta talibus lege. Nam omnia iudicia publica infamant l. 7. *de publ. judic.* par igitur est, ut qui alteri publico iudicio infamiam inurere per calumniam voluit,

voluit, eandem ipse maculam sustineat *l. fin. C. de calumn.*
 5) Actione furti, vi bonorum raptorum, injuriarum, de
 dolo malo & fraude suo nomine damnatus pactusve *cit. l. 1.*
vers. qui furti: pluribusque aliis ll. ff. & C. de infam. quia hæc cri-
 mina, licet judicii publici non sint, ex iis tamen actioni-
 bus sunt, quæ etiam in privato judicio infamiam condem-
 nato important *l. 7. ff. de publ. judic.* & in omnibus hisce judi-
 ciis de dolo quæritur. Doli autem actio seu condemna-
 tio infamat *l. 1. & seqq. ff. de dol. mal.* quibus non obstat *l. 6. §. 2.*
2. & 3. ff. de his qui n. infam. quia partim loquuntur de casibus,
 ubi per provocationem sive appellationem interpositam,
 sententia a viribus rei judicata fuit suspensa: Partim con-
 demnationem non nomine proprio sed alieno peractam in-
 volvunt: partim denique pactum non privatum, sed ad
 quod Prætoris jussus accessit, denotant. 6) In contractibus
 nonnullis, veluti societate, mandato, tutela, deposito, suo
 nomine, non contrario judicio, de dolo denegataque resti-
 tutione damnatus *l. 1. vers. qui pro socio & l. 6. §. fin. ff. de his qui n.*
inf. ob doli exuberantiam, quam *Hahn. ad Wesenbec. ad h. §. n. 5.*
 putat intelligere *Wesenbecium* per fidem ruptam. Cujus ta-
 men exceptionem quoad judicium contrarium *vid. in cit. l. 6.*
§. 5. Damnatum autem dico tantum, non etiam pactum,
 ut in *puæced. n. 5.* quoniam in actionibus, quæ ex contracti-
 bus proficiuntur, licet famosa sint, & damnati notentur,
 pactum tamen non notatur, cum ex his causis non tam turpis
 sit pactio, quam superioribus *l. 7. ff. cit. tit. 7.* Mulier intra tem-
 pus luctus (quod annus est integer & continuus *l. 8. ff. de h. q.*
n. 1. conf. l. 2. C. de sec. nups.) nubens, item pater, qui, sciens mor-
 tuum esse generum, eam, antequam virum elugeret, in matri-
 monium alteri collocavit, quique sciens eam intra præstitu-
 tum tempus duxit *l. 1. vers. qui eam qual. n. §. 3 & 4. ff. de his qui,*
 cujus ratio est, ut marito debitus præstetur honos, utque
 turbatio sanguinis, qua defunctus sub tumultu injuria af-
 ficitur, evitetur, ne stirpes & familiæ confundantur, si statim
 a morte primi mariti ad secundas nuptias mulier properet:

nato enim intra annum filio, incertum fieret, utrius effet mariti partus, an demortui, an vero secundo superinducti. Hanc autem infamiam tempusque cum *Pomponio & Ulpian. in l. 11. §. 2. ff. de h. q. n. 1.* cessare credo, quando intra legitimum tempus partum ediderit, tunc enim secundo nuptiis nihil obest, cessante nimirum ratione, de turbatione sanguinis. Dissentit *Dn. Hahn. in observ. suis ad Wesenb. tit. ff. de h. q. n. 1. p. 228.* aliter pro sua opinione hanc legem explicans intelligi scilicet eam de muliere, quæ virum habuit more majorum non lugendum: Verum, quod pace tanti Viri fiat, hæc responsio nimum mihi videtur divinatoria, cum ne verbulo quidem mentio hic fiat viri non lugendi. Imo verba *preced. §. 1.* penitius inspecta expresse loquuntur de infamia propter confusionem sanguinis. Imitatus *Dn. Hahn. Dn. Ekhold. ad tit. ff. de his qui n. 1. §. 8.* urgens præprimis generalitatem textus in *ante. l. 1. ff. d. h. q. n. 1.* Verum lex hæc est generalis, indefinitive loquitur, quæ per speciales postmodum leges iisque adjectas sufficientissimas in jure naturali fundatas rationes & causas est restringenda. Cessat porro infamia tempusque, impetrata a Principe venia & licentia, ad novum matrimonium incuendum, *l. 10. pr. ff. h. t.* Item si sponsa tantum intra præstitutum tempus fuerit *d. l. 10. §. 1.* Maritum denique si habuerit more majorum non lugendum, *l. 11. §. 1.* quales sunt hostes, perduellionis damnati, suspensiosi, qui manus sibi intulerunt non tadio vitæ, sed mala conscientia, *cit. l. 11. §. 3.* Verum hoc infamiae genus jure Canon. est sublatum *c. fin. x. de secund. nupt.* ubi luctus annum feminae expectare uon tenentur. Confer. *Treutler, vol. 1. D. 8. th. 5. L. B. Scotan. in exam. jurid. h. t. p. 31.* quod & moribus observatur. 8) Binas nuptias vel bina sponsalia simul eodemque tempore constitutas habens: (ubi se infamia etiam ad patrem, cujus jussu hæc contrahuntur, extendit, *l. 13. §. 1. ff. d. h. q. n. inf. sepe ante cit. l. 1. in fin. vers. quive suo nomine ff. de h. q. n. 1.*) cum ille etiam adulterii teneatur, *l. 18. C. de adulter.* sponsalia autem sint veluti matrimonium, *l. 13. §. 1. ff. de adulter.* Jam vero, ut duarum quis

UXO-

uxorum maritus esse non potest, ita nec duarum sponsarum. Nam, qui sponsam habet, sponsus est *Job. 3.* Fidem quoque frangit priori, qui cum altera sponsalia contrahit. Ibi autem infamia sequitur, ubi de fide rupta agitur, *l. 6. §. 9. ff. d. h. q. n. inf.* 9) Mulier sui juris per calumniam ventris nomine cum pragnans non esset, in possessionem bonorum mariti defuncti missa, eoque nomine damnata, *l. 15. 16. 17. ff. d. h. q. n. 1.* idque ex talionis lege; Nam Injuria, quam videtur defuncto marito, mendaci hac ac malitiosa in bonorum possessionem missione intulisse est ignominia contumeliæ animo alicui apposita, *l. 1. pr. ff. de injur.* æquam igitur est, ut qui alteri ignominiam intulit, eandem ipse incurrat, *l. fin. C. de calumn.* quæ infamia similiter, ut præcedens, & patrem, qui passus est hoc a filia, quam in potestate habebat, fieri, ferit *l. 19. vers. idque ff. d. h. q. n. inf.* Minime autem eam, quæ falsa existimatione decepta in possessionem missa, *l. 18. eod.* 10) Denique in horum numerum refero Tutorem suspectum remotum ob dolum, (in sententia expressum *l. 3. §. 18. §. l. 4. ff. de suspect. tut.*) secus ob latam, de levi enim nullus forte dubitabit, culpam: motus *§. 6. Inst. de susp. tut. ibique Glossa. confer. quoque Wesenbec. ad d. t. ff. n. 2. & Treutler. volum. 2. select. disp. 9. th. 4. L. G. Anton. Perez. C. h. t. n. 5. Bachov. ad Wesenbec. h. t. n. 5. Vinn. ad d. §. 6. J. b. t. n. 3. Wissenbach. part. 1. disp. ff. 51. th. 21. & disp. ad J. 8. th. 37.* Mirum hic inter Dd. aliasque Juris interpretes versatur litigium, aliis aliter antecir. *§. ex Inst. textum expli. cantibus.* Salvo aliorum Doctorum judicio, optimus mihi videtur consistere hujus *§.* sensus in eo, verba ut sumantur, prout iacent. Jam vero cum culpæ vocabulum hic generaliter ponatur, & generaliter illud intelligamus, ut ex omni sive lata sive levi quis culpa suspectus sit remotus, ab infamia sit liber. Quare enim textu *§.* hujus non distinguente, nos distinguamus? quid? quod ad infamiam irrogandam, omnino atque absolute requiratur dolus per jura notissima. Rationes pro stabilienda hac sententia refert *antelaud. D. Otto in tr. suo de h. mat. 2. p. 221.* quatuor, quas cum omnem mihi litem

videantur sopire, imo plane tollere posse, huc transcribere placuit. *Prima*, inquit, ratio est, quia sententiam hanc probare videtur *d. §. 6.* ubi Imperator in genere ait, tutorem suspectum ob culpam remotum famosum non fieri; Quod vero de genere dicitur, id in omnibus partibus, gradibus & speciebus valet, per *Everb. in top. loc. a generalitate n. 2.* *Secunda*, quia causæ graves & famosæ criminalibus comparantur; eo quod de exiustimatione hominis ejusque honore agatur, cujus non minor, (uti antea in præf. jam dictum,) quam vitæ ratio habenda est per *jur. notiff. confer. Freber. l. 2. c. 7. n. 1. & c. Gail. 1. observ. 64. n. 2.* In criminalibus vero non æquiparatur culpa lata, *l. 7. & ibi gloss. in voce: culpa: ad l. Corn. de sic.* Ergo neque in crimine susp. tut. & curat. *Tertia*, quia tutor remotus dicitur saltem propter dolum fieri famosus, *d. §. 6. f. & l. fin. ff. eod.* lata vero culpa proprie dolus non est, passim enim distinguitur a dolo per *l. 7. C. arb. tut. l. 1. C. depos. l. 20. C. de neg. gest. aliisque simill.* *Quarta* ratio, quia textus de eo est intelligendus casu, de quo magis dubitari potest, *l. 9. & ibi Accurf. ff. de Carbon. edict.* Ast major est dubitatio, num tutor ob latam culpam remotus fiat infamis, quam si quærat, num ob culpam levem famosus efficiatur. *E.* denique in dubio benignior interpretatio semper est præferenda, & odia restringenda &c. per *jur. vulg. videbis etiam præter alios dissert. Cothman. 1. disp. ult. Coroll. 2. quem allegat, & sequitur Cubsch. 99. Illustr. Jurid. cent. 2. dec. 8. §. 3.* Hucusque antelaud. *D. Otto.* Coronidis loco lubet huic th. 16. annexere quæstionem: Utrum hæc de tutoribus in genera dicta quoque extendi queant ad tutores legitimos? Sane si strictum juris rigorem factumque tutorum dolosum respexeris, omnino videtur idem dicendum, *arg. l. 8. C. de Episc. & Cler.* quo enim magis est præsumenda affectio, eo magis debet quoque, si illa violeatur, infligi pœna. Ex æquitate tamen arbitrari, parcendum esse famæ ejusmodi agnati, hujus quippe maculatio & nosmet quasi urere videtur, idque ductu *arg. l. 4. ff. de susp. tutor.* Quid? quod *Dd.* generaliter suadeant, potius,

potius tutori agnato, si suspectum se gerat, associandum curatorem, adeoque tutorem faciendum honorarium, quam ipsum plane removendum esse.

Th. XVII. Hactenus enarrati notantur ex edicto, sequuntur ii, quos lex infamat, eorumque non minorem, tam leges nostræ Civiles quam Canonici textus, suppeditant copiam. Nos ordine, ut in *preced. lib.* observato principaliores eligemus, inque medium prolaturi sumus. Notantur ergo Leges 1. Fœnus improbum exercentes, ac usuras usurarum aut usuras centesimas exigentes, *l. 20. C. ex quib. caus. infam. irrog. can. usurarium 3. quest. 7.* idque propter odium eorum, cum multa ac fere innumerabilia mala ac damna in Rempubl. ab ipsis promanare soleant, contra quæ in tantum surrexerunt leges, ut omnia eorum pacta, omnesque contractus usurarios annihilari atque rescindi jufferint, voluerint porro iis, præter infamiam, pœnam quoque quadrupli impostam esse, deinde ut in testamento a testimonio arceantur, nec testamentum facere possint *c. 3. x. de usur. c. 2. de usur. in 6.* De jure quoque Canon. Christiana ipsis denegatur sepultura, *civ. capp. & clem. 1. de sepult.* Jure Novissimo privantur quarta sortis parte, *Reichs Abschied de An. 1577. tit. von wucherlichen Contrakten 17. §. Diemeil aber solche* 3. Imo in foro Saxonico & præprimis in terris Electoralibus, observata, quoad cætera, pœna in Recess. Imp. in eos constituta, integram sortem mutuo datam amittunt ex mandato Sereniss. Saxonix Electoris de *An. 1625. d. 28 April.* promulgato, prout refert *Dn. Carpz. Pr. Crim. part. 2. qv. 92. n. 24. §. 28.* qui etiam *seq. n. 29.* præter pœnam hanc pecuniariam, utpote qua (intuitu avaritiæ eorum) nullam forte magis sunt formidaturi usurarii, pœnam quoque extraordinariam pro arbitrio, fustigationis sc. relegationis aut carceris, in eos constitutam esse, ex *Marant. part. 6. specul. aurei, num. 114. & seqq. Molin. de usur. num. 156. Job. Borscholt. de usur. c. 5. num. 9. aliusque pluribus a se citatis asserit.* 2) Mulieres quæstum corpore facientes, aut turpem notorie publiceque vitam degentes, licet postea abstineant, *l. 43. §. 4. 5. ff. de ritu nupr.* quibus ex hac eadem L. annumerandæ mulieres

heres in adulterio deprehensæ, sive deprehensæ sint in ipso a-
 ctu, sive non, sive post deprehensionem absolutæ sive con-
 demnatæ sint, §. 12. & fin. Quamquam & simpliciter, pudici-
 tia amissa, fœminam amittere existimationem ac dignita-
 tem omnem, puta nobilitatem, quidam statuunt, quod di-
 cere est durum *Bald. in l. 8. C. de jure deliber. per l. si qua illu-
 stris C. ad SCtum Orphit.* licet etiam *Saxo* dicat, luxuriosa vita
 fœminam non tam bona sua, quam honorem imminuere
*lib. 1. art. 5. confer. Wesenb. ad tit. ff. de his qui n. Inf. n. 5. p. m. 222.
 iaf.* His adde muliebria passos, de quibus agit *l. 31. C. ad l. Jul.
 de adult. conf. Freb. l. 3. c. 16. n. 23. p. 453.* An autem mulier vi
 compressa, vel vim passa infamis sit, quæstio est? Salvo
 meliori judicio, aliorum Negativa mihi arridet, idque pro-
 pter *l. 20. C. ad l. Jul. de adulter. c. propositio 32. quest. 5. revera e-
 nim meretrix non est, l. 13. §. 7. & l. 39. pr. ff. Confer. Marquard.
 Freher. de existim. l. 3. c. 16. n. 7. p. 447.* ubi tradit hoc casu filium
 conceptum matri succedere, quamvis spurius sit. 3) Jure
 prohibitas item incestas, quæ inter conjunctas sanguine
 personas contrahi possunt, nuptias contrahentes, *sec. l. 7. C.
 de interd. matr.* Quo casu si scientes ab utraque parte con-
 traxerint, utrinque infamantur, *l. qui contra C. de incest. nupt.
 Angel. in §. Si adversus Inst. de nupt.* Quæ prohibitio cum tam
 in Inst. quam in ff. & C. imo etiam *7. Can. tit. de sponsul. de nupt.*
 aliisque fere infinitis, eorumque interpretibus satis superque,
 imo ad nauseam fere usque, luculentissime pertractata extet,
 ulteriorem de ea discursum in medio relinquo, ordinique
 mihi ab initio proposito insistens pergo, adque alios me con-
 fero, inter quos occurrunt. 4) Hæretici, *l. 1. §. C. de SS. Tri-
 nit. Auth. Gazaros & de heret.* qui vel levi argumento a judicio
 Christianæ Ecclesiæ ac Religionis tramite deviant, *l. 2. C. de hæ-
 ret. & Manich.* sic dicti a pertinaci spiritu & opinione singula-
 ri, duræ frontis obstinato piaculo, ut *Theodos. loquitur in No-
 vell. de Jud. Samar. & heret.* His quoque annumerandi Apo-
 stata, Schismatici, pagani omnesque fidei Christianæ præ-
 varicatores, per *c. alieni 2. q. 7. c. infames 6. qu. 1. c. si quis a vero 3. q. 4.*

Ast

Ast objiceret mihi aliquis iniquitatem hujus infamiz, maximam enim esse differentiam inter hæreticos & alios sceleratos seu criminosos, propterea quod in his animus delinquendi sit, ex quo solo delicta, & per consequens infamia, censeantur *l. 3. §. 1. ff. de injur.* Illi autem non animo delinquendi & studio, sed errore potius & præpostero Zelo novam sectam amplectantur, Dei verbum non minus quam pii & orthodoxi ad dogmata sua probanda semper allegantes, vitamque adeo piorum instar pro sententia sua asserenda non invite profuturi &c. Verum Resp. Eos non tam ob delictum notari infamia, quam justo quodam perversæ doctrinæ odio, ut alii facilius ab ea deterreantur, ipsique in vitam revocentur. Deinde quia ita Imperatores sanxerunt, hæreseos crimen publicum esse, variis idque pœnis persecuti sunt *l. 4. C. de heret. cum simill.* dubitari amplius non potest, quin vera, imo gravissima eos infamia comitetur, quæ se etiam ad plures extendit effectus, quos vid. apud Freher. *l. 3. c. 19. n. 6. p. 515.* Imo apud Canones excommunicantur, *c. excommunicamus 13. x. de heret.* His addo blasphematores, quos itidem infames esse credo. Si enim principis terreni offendens Majestatem est infamis, *l. 5. C. ad l. Jul. Maj.* quanto magis offendens Majestatem divinam? arg. *Auth. Gazaros C. de heret. Alexand. cons. 213. n. 2. vol. 6.* Ecce Judæorum fere oblitus fuisset, qui ubique ferme terrarum præter Schelmen (uti & pluribus in locis rustici juxta commune proverbium, *Der beste Bauer ist ein Schelm* / qui titulus, an ipsis adhuc ex bello contra Imperatorem Statusque Imperii quondam moto, de quorum restitutione ante aliquid dictum, superstes sit, vel quam aliam ob causam ipsis tribuatur, in cujuslibet, judicio ac arbitrio positum relinquo,) nihil audire consueverunt, videamus igitur, an & hi infamibus annumerandi? Certe si veterem Christianorum Ecclesiam respexerimus, inveniemus, hanc non rejecisse plane eos sed tolerasse eorum Collegia, Synedria, Synagogas, ut apparet ex *l. 15. §. 6. ff. de excus. tutor. l. 1. 2. 3. 10. C. de Judæis c. 3. & aliquot seqq. x. de Judæis*

Et Saracen. Interim tamen non negabimus, Ecclesiam illam pro infamibus eos ac vilissimis habuisse, adeo ut omnes administrationes & dignitates, officiaque publica committi voluit, per quæ eis occasio tribuatur, pœnam vel præjudicium Christianis inferendi *l. fin. C. de Judeis cap. pen. x. cod.* & quod generali concilio Lateranensi prohibitum fuit sub Innocent 3. *Gen. 69. c. 54. Et c. 17. q. 4. Petr. de Ancharan. cons. 271. col. 2.* Quibus cum accedant eorum blasphemix in Servatorem nostrum, superstitione, fraudes, pertinacia, avaritia, improbi scœnoris exercitium aliaque innumera vitia, quibus hoc hominum genus præceteris abundare solet, merito legibus odiosos ac infames esse judico Cuilibet autem ut liceat eos injuriandi und *Schelmen zu heissen* laudare nunquam possum, cujus rationes sufficientes ad hoc me moventes hic apponere possem, ni brevitati studerem.

Th. XVIII. Perjuri 5) sequuntur per *c. infames 6. quest. 1. c. si quis convictus c. querelam. x. de Jurejur.* sive de præterito pejerassent scienter fallendo, sive de futuro non servando quod jurassent. Sive in contractu, sive in judicio & ubicunque denique pejerassent, rejecta distinctione *gloss. in l. 21. ff. de his q. n. J. Et in c. 81. verb. recipiantur 6. q. 1. Et Bald. in rubr. de jurejur. in fin.* Hoc autem intelligi velim, si dolo malo pejerassent, si (ut est in veteri jurisjurandi formula) scientes scellissent. Dolo quippe malus ad perjurium exigitur, *l. 9. jurasse 26. pr. ff. de jurejur.* Quapropter qui calorem iracundiæ vel inconsulto aliquid jurasset, nec exinde teneretur, *arg. l. Ea qua calore ubi Petr. Fab. ff. de reg. jur. nec penam aut infamiam contraheret, l. 2. C. de jurejur. (non l. 2. C. de R. C. prout ponit Dn. Eckolt. ad tit. ff. d. h. q. n. 1. S. 9. p. 37.)* cum tales inconsulti motus utpote dolo carentes excusandi sint, *l. Julia ff. ad l. Jul. repet. l. nes in ea ff. ad L. J. de adult. Freher. de existim. l. 3. c. 10. n. 11. pag. 392 Et seqq. ubi ampliationes invenies.* 6) Sepulchrorum violatores, quibus addo hæreditatum expilatores *l. 12. C. ex quib. caus. inf. irrog.* quia furibus improbis comparantur *in d. l. 12. infames efficiuntur, per l. 1. ff. de sepulch. viol. c. infames 6. q. 1.* quia sepulchra ritu suo in perpetuum

tuum clausa aperire, mortuos tangere vel radiis solis ostendere piaculum, *l. 7. l. fin. ff. de sepulch. viol.* cum id aut furandi spoliandique studio ut *l. 3. §. adversus & d. l. fin. ff. de sepulch. viol.* aut ad malas artes & veneficia, quæ ipsa per se ex constitutionibus infamant, facienda, fiat, ut Nov. Valentiniani de *sepulchr.* docet. Quid? quod contra naturam quasi esse mihi videatur mortuorum turbare loculos & cadavera. 7) A transactione spontanea a juramento firmata recedentes per *l. si quis major. 41. C. de transact.* qui etiam præterea omnibus suis actionibus & juribus cadunt, *cit. l. 41.* idque ob violationem pacti, quod servari oportebat, cum etiam transactio effectum & auctoritatem rei judicatæ habeat, *l. 20. C. de transact.* Quid? quod fiant perjuri, recedentes ab eo, quod juramento confirmaverant. 8) Principi, si lis per sententiam judicis vel Magistratus sit decisa, nec quis ab ea appellaverit, atque ita sententia in rem judicatam transferit, pro sententiæ rescissione supplicantes, quia per hoc quid aliud agunt, nisi ut Magistratui illudant? nisi ut rerum judicarum auctoritatem ludibrio habeant? Si enim Principi non licet supplicare lite pendente, *l. 2. C. ut lit. pend. Nov. 92. §. pen. & Nov. 113.* quanto minus decisa. Quo etiam refero eos, qui causam in auditorio Principis rescripto terminatam rescicare denuo conantur, atque ita de eadem re Principem fatigare non cessant; quod plane est abuti ejus clementia, *l. 2. C. ut lit. pend.* Pertinent huc quoque ii, qui constitutionem principis specialem vel rescriptum ejus ad terminationem forte alicuius negotii vel aliam ob causam promulgatum vel cavillose interpretantur, vel ad suum callide commodum detorquent, vel alio per sub-vel obreptionem impetrato rescripto impugnare & retractare stупent, *l. 2. C. de ll.* quia posterius rescriptam quidem (utpote quod obreptitium præsumitur, cum non deceat principem privilegium suum revocare, *c. docet. de reg. jur. in 6. confer. Jacobin. in sua investitura in verb. Princeps &c.*) nihil ipsis proficit, neque iudex impune id admittit,

E 2

aut

aut denuo propterea ad principem refert. Ipsi autem, ut improbi fatigatores & importuni, adeoque mendaces infamiae notam subeunt, *d. l. 2. C. de ll. & const. princip.* His quoque, propter nimis inverecondum desiderium, accensendi Principi contra jus supplicantes, casum *vid. in l. 1. C. de SCtis*, quae praeterea & tertiae patrimonii partis multam eis dicitur. Item principi, omiſſa provocatione licita, supplicantes per *leg. fin. ut lit. pendent.*

Th. XIX. 9) Judices pretio corrupti male administrantes justitiam & judicantes per *l. 2. C. de poen. judic. qui mal.* Ita enim de iis elegantissime *Philo Judens in lib. de judice*, ubi praecipuum Divinum exponit, ne Judices accipiant munera: Muneribus (inquit) induci ad injustitiam est scelerari hominis: sicut seminali, non reddere jus absque operae praemio. Sunt enim quidam praetextati inter justos injustosque medii, instituti ad tuendos oppressos, qui tamen non dignantur gratis ferre sententiam pro causa meliore, venales mercenarii que judices. Quod si quis queratur, negant se praevicatos: vicisse enim litem quos oportuit, & victam partem adversariam, quae excusatio nequam est. Oportet enim duo quaedam inesse in sententia boni judicis, ut sit incorrupta & legitima. Caterum Praeses venalis muneribus justitiam suapte natura pulcherrimam dehonestare se non intelligit, & peccat non simpliciter: primum quod assuefacit ad avaritiam, arcem iniquitatum omnium: deinde quod accepto pretio multat eum, cui prodesse debuerat. Ideo salubriter Moses admonet, juste administrandam esse justitiam; subindicans etiam injuste administrari eam interdum, quoties praesides inhiant muneribus, non tantum, in judiciis, sed terra marique in omnibus pene vitae negotiis. Hucusque *Philo.* Exempla horum judicum tradit *Marq. Freher. l. 3. c. 14. n. 2. p. 422.* Quod de pretio supra dictum, idem & de gratia, quando iudex ea motus non recte judicaverit, dictum sit. Adde his eos judices, qui appellatione a partibus facta vel ipsi negotium ad Principem referentes, non omnia acta

acta cunctaque ea, quæ litigatores instructionis probationisve causa recitaverunt, ediderint, & ad principem miserint, ita, ut ipsi jam ultimam nec amplius appellabilem sententiam laturo instructio causæ meritorum necessaria desit, *vid. l. 15. C. de appellat. & consult. ibique Dd.* Porro iudices se furtis & sceleribus maculasse convictos, *l. 12. C. de dignit. lib. 12.* quomodo enim in aliis damnabunt ea, quorum ipsi rei. Deinde iudices, qui violentiæ crimen apud se probatum punire differunt, vel emittunt, vel impunitate donant, aut molliorem ac mitiorem præstituta pœnam proferunt, per *l. 8. C. ad leg. Jul. de vi publ. & priv. l. 8. §. 2.* Iudices eorumque apparitores ac defensores civitatum, negligentes ea, quæ in hæreticos statuta, aut aliqua temeritate violari permittentes, *l. 8. §. fin. vers. Scientibus moderatōribus C. de heret.* Ubi etiam denarum librarum auri mûlta fisco Imperatoris inferenda in eos constituta. Iudices, petentibus litigatoribus, pro executione faciendam non apparitores vel viatores consuetos & ordinarios, sed vel Præfectianum, vel Palatinum, vel militem, vel ex his etiam omnibus, qui antea in hujusmodi officiis fuerunt commemorati, tribuentes, (quos patrimoniorum simul damna committantur: *l. 8. C. de offic. rector. provinc.* Quia hos milites signis & numeris suis jugiter inhærere, omnibusque privatis vel civilibus rebus aut negotiis abstinere constitutum erat. *l. 31. C. Locat. l. 13. 15. & seqq. C. de re milit.* Iudices non ex sua, sed ex venturæ delegationis titulis aliquid exigentes, *l. 7. C. de offic. rector. provinc.*

Th. XX. Simili infamia laborant 10) qui accedunt ad domum debitoris sui, & moribundum vel familiam ejus molestiis afficiunt, ac res ejus signaculorum impositione, non servato legali officio, occupant, *Nov. 60. c. Auth. item qui C. de Sepulchr. Violat.* Olim quippe creditores avari vel impii, qui naturam hominis non erubuere, nec moribundis debitoribus parcere solebant, dum lethaliter decumbentium ades ingrediebantur, & signacula bonis sine judicis autoritate imponentes eadem occupabant, imo ipsorum defuncto-

rum cadavera, usque dum suum fuerint consecuti, vel hæres pignoribus vel fidejussoribus cautionem præstiterit, contra jura Gentium, ut docet *Hugo Grot. de Jur. Bell. & Pac. l. 2. c. 10* sepeliri prohibeant. Licet hanc perversam consuetudinem in credulitate LL. XII. Tabb. fundatam tradat *Kornmann. de Mirac. Mortuor. part. 9. cap. 36. & 37.* Juxta has enim perfidi debitoris cadaver creditoribus lacerandum tradebatur, ut late explicat *Gell. Noct. Attic. lib. 12. cap. 1. add. Hög. Grot. cit. Tract. lib. 3. cap. 4. §. 2. n. 1. pag. 45.* Sed cum talis consuetudo credulitatis plena & hoc ignominiosum ac ab omni humanitate alienum, imo cum impietate & contemptu religionis conjunctum, ac insuper publice interficit, non minus mortuos sepeliri, quam vivos conservari, iuxta *Bald. in l. fin. C. Negot. Gest. num. 7.* ideo merito hoc prohibitum, jung. *Didac. Covarruv. lib. 2. Resol. cap. 1. num. 10. Rittershus. in Novell. part. 13. cap. 6. num. 5.* Quæ pœna infamiz una cum reliquis hætenus expressis locum quoque obtinet, licet in instrumento debiti hoc partibus placuerit, *Suarez. in Repetit. Legis, post rem judicatam ff. de Re Judicat. extens. §. num. 2.* De iure Romano veteri pœna quidem erat statuta 50 librarum auri, *l. 6. C. de Sepulchr. Violat. l. cit. 6.* iuxta vulgare: qui non habet in ære, leat in corpore, *l. quoties de delicto l. §. generaliter. 3. ff. de Pen.* Justinianus autem Imperator *cit. Novell. 60. cap. 1. in pr.* ex qua dicta Authentica est desumpta, atrocitate criminis ab hac thesi allatas rationes commotus eandem permutavit, ut vigore *cit. LL.* creditores huiusmodi non solum ius crediti amitterent & tertia bonorum parte mulctarentur, sed insuper infamia notarentur, imo & heredibus defuncti tali injuria affectis aliud tantundem præstare cogentur, *vid. Novell. cit.* Sequuntur 11) Instrumenta aratoria etiam pignoris causa affectantes, *l. 8. & Auth. Agricultores C. qua res pignor obligat. poss.* Alias agricolæ instrumentis suis destituti agriculturam deserere magno cum Reip. detrimento & iactura tributorum, quæ ab ipsis præstari hac ratione non poterunt, deficientibus
nimi-

nimirum alimentis, cogentur *l. 7. l. 8. & Auth. citat. Perey. au. h. t. C. n. 7.* An idem dicendum de iis, qui libros studiosorum hoc pacto pignoris causa rapiunt? Videtur quod sic; cum & hi sint eorundem instrumenta ad promovendam Reip. salutem quam maxime necessaria; nec minor favor esse debeat, illarum rerum, per quas animus hominis, quam quibus fundus excolitur *l. cit. 7. & 8. cum Auth. seq. confer. Ludwell. ad Instit. Ex. 16. th. 2. lit. I. infm.* Verum negativa, uti in Praxi, ita Theoria quoque videtur verior: cum instrumenta fundi non solum ad bene esse, uti libri studiosorum, *Magn. Dn. Struv. S. J. C. Ex. 26. th. 16. ibique not. in LL. Obst.* sed ad esse absolutum hominis ejusque subsistere spectent; adeoque rigorosa infamix pena, quæ restringenda est singulariter, nisi exprimat, a simili ad simile extendenda non sit, *vid. tamen infr. th. 23. num. 14. huj. Dissert.* ex qua forte jus strictum aliquo modo in puncto infamix hoc in passu infligendæ defendere poteris.

Th. XXI. 12) Advocati in causa agenda probris certantes: probatur hoc expressa sanctione Imp. Valentiniiani atque Valentis, in *l. 6. §. 1. C. de Postuland.* ubi ante omnia, inquit, universi advocati ita præbeant patrociniâ jurgantibus, ut non ultra, quam litium poscit utilitas, in licentiam, conviciandi & maledicendi temeritatem prorumpant; agant, quod causa desiderat; temperent se ab injuria. Nam si quis adeo procax fuerit, ut non ratione, sed probris putet, esse certandum, *opinionis suæ imminutionem patietur.* Imo quoque aliam pœnam extraordinariam ipsis dictari posse, docet praxis hodierna, de qua *vid. Carpz. in Jurispr. Forens. part. 1. const. 1. defn. 19.* Nil enim hodie familiarius atque jucundius Advocatis & causidicis, cum commissarum sibi litium infirmitatem rationibus satis munire non possint, quod vel in collitigatore, vel in ipsum etiam judicem conviciando, cavillando, objurgando, maledicendo, procacis & effrenatis invehantur, daß sie die Feder gar zu scharff spißen! *conf. Hillig. ad Donell. l. 18. c. 3. lit. Ana. Johann. Petr. Al. in tract. de Adv. & Caus. Christ. part. 2. exerc. 6. citat. apud Carpz. loc. cit.*

Licet

Licet plus noceat, quam profit, anserinus ille strepitus, qui plerumque scommata, convicia, injurias, earumque retortiones, jurgia, dissidia, lites, inimicitias, & denique omnia mala causari solet. *Adam. Keller. lib. 1. de Offic. Jurid. Polit. cap. 8. Brunnen. ad cit. l. Quisquis 6. C. de Postuland. num. 7. & seqq.* Multo magis autem infamia advocatus vel causidicus notabitur, si erga judicem ipsum loquendo inverecundus, injurius, importunusque fuerit, quem tamen omni honore pariter & debita reverentia afficere debebat, optime monente *Freber. de Infam. lib. 3. cap. 13. unum. 3. 4. 5. & seqq.* quia, ut *Plato in Theeteto* scribit, causidici coram judice, non aliter quam coram domino servi pro conservis, postulant & disceptant. Quid? quod nec advocati, etsi illorum desiderijs judex non protinus nec per omnia annuat, debeant ob hoc ipsi adversari, memorabili exemplo *Julii Pauli*, qui in *l. quasitum 78. §. cum vir. 6. ff. de Legat. 3.* ingenue commemorat atque confitetur, se in causa quadam fideicommissaria, in qua postulabat, non id obtinuisse, quod petebat.

Th. XXII. Alios non ab similibus farinae inducam, & quidem 13. pecuniam dantem, ut Episcopum eligeret, vel ut ipse Episcopus eligeretur, *jung. l. si quinquam 31. C. de Episc. & Cleric.* Nullus enim locus tutus esse poterit, si veneranda Dei templa pecuniis expugnentur, si auri sacra fames in veneranda penetralia proserpat; nihil cautum esse poterit aut secretum, si sanctitas incorrupta corrumpatur; altaribus imminet profanus ardor avaritiæ & sacris aditis, ex mente Imperatorum Leonis & Anthemii, piaculare flagitium. Confirmat hoc Jus Canonicum *in c. sane XV. q. 3.* Quisquis enim sanctam & venerandam antistitis sedem pecuniæ interventu subivisse, aut si quis, ut alterum ordinaret vel eligeret, aliquid accepisse detegitur, ad instar publici criminis & læsæ majestatis accusatione proposita, a gradu sacerdotii retrahatur. Nec solum hoc deinceps honore privari, sed perpetua quoque infamiae damnari decernitur: ut eos, quod facinus par coinquinat & æquat, utrosque similibus pœna comitetur, *add. Decian. lib. 5.*

lib. 5. Præf. crimin. c. 85. Zæf. ad tit. x. de Simon. num. 101. Poffet hic tractari quæftio in praxi non parum verfabilis: an eadem poena debeat quoque manere eum, qui Canonicatum certa pecunia Summa acquisivit & redemit? Ad decifum quæfti promovendum, ex libertate Academica, & falvo omni melius faniusque fentientium judicio, fequens formabo argumentum: Quicquid pro Simonia habetur & jure pofitivo moderno pro tali declaratur, illud etiam habebit eundem cum Simonia effectum. Atqui hæc emtio Canonicatum tam inter Auguftanos, quam Romano-Catholicos pro Simonia habetur. Ergo quoque eundem habebit effectum. Major eft rationis manifefiffimæ; imo, ut reor, indubitata. Minor mihi probanda erit: probo igitur eandem ex intentione Pontificia (1) ex can. *audivimus can. Salvator. can. ex multis* l. 9. 3. ubi omnis emtio beneficii ecclefiaftici aut ab Ecclefia dependentis rotunde prohibetur; (2) quia hoc modo dignus & indignus ablativum adfciscere poffent; quod iterum eft contra mentem Pontificis, certas qualitates, morum honeftatem, pietatem & eruditionem refpicientes, in Canonico requirentis. Ut jam nil dicam de precibus primariis Summi Imperatoris, per quas imprimis ab hisce virtutibus cuilibet Collegio Capitulari perfonam certam commendat. In foro Auguftano res mihi videtur expediri per elegantes rationes, quas congefifit *Carpzov. Jurispr. Confiflor. lib. 2. tit. 19. defin 312.* quare non dubitavit Facultas Juridica Lipfienfis M. Octobri. An. 1645. fequentem tenorem adrequifitionem Capituli N. collegialiter concipere: Dat A. fein in dem Stifft B. gehabtes Canonicat C. dergestalt würcklichen resigniret / daß ihme gedachter C. davon zum honorario entweder 4000 Rthlr. an damahliger gänger und geber Münze / oder 1000. Rthlr. in specie zu geben versprochen / auch weil C. solcher Zufage nicht nachkommen / so ist die Sache vor sie in dem Domo Capitul dahin verabhandelt / daß C. Gerichtlichen anderweit mit feinem Handschlage an statt der versprochenen Zahlung deme von N. in der hohen Stiffts Kirchen mit 1000. Rthlr.

F

Capit

Capital und 100. Rthlr. davon betragten Zinsen wegen eines Stipendii zu entrichten / und ihme darüber seine Hand und Quittung einzuhändigen zugesaget. Nachdem aber mehrbesagter C. sich dieser Abhandlung zu entbrechen vorhabens / so wollen sie berichtet seyn / ob C. die vor das resignirte Canonicat versprochene 1000. Rthlr. und 100. Rthlr. Zinsen zu zahlen verbunden? Ob nun wohl sonst über einmahl beliebte Verträge / gethane Zusagungen und Gerichtliche Anselobungen streng und fest zu halten / dennoch aber und dieweil / vermöge der Rechte Canonicaten und Präbenden / als geistliche Stifts-Güter / einen andern um Geld zu überlassen oder zu resigniren ausdrücklichen verbotthen / auch da dergleichen erfolget / solcher Contract pro Simoniaco und zu Nicht vor ganz unkräftig gehalten wird / so ist durch die von A. gethane C. Resignirung seines Canonicats pro Simoniaco zu achten / und dahers C. die davor verwilligte 1000. Rthlr. Capital und 100. Rthlr. Zinsen abzustatten nicht schuldig / *V. N. W. Quod si tamen Tibi L. B. haecenus tradita nimium rigorosa videantur, poteris, emolliendi ergo, conciliationem quandam depromere ex verbis Brunnem. ad cit. l. 31. num. fin. quæ ita se habent: Ingressuri monasteria solent aliquam pecuniæ summam solvere pro ingressu, veluti dorem, ob portanda onera matrimonii spiritualis, quod adeo iniquum non est. Sic recepti in Capitulum (subjicere poteris,) solvere queunt Collegio, imo etiam uni vel alteri ex eodem, pro instructione, docendis ritibus, juribus, privilegiis, &c. quod tolerabile videtur.*

Th. XXIII. 14) Privilegia Scholarum violantes, *Arthent. habita C. Ne fil. pro patr.* ubi similiter Rectores locorum, qui hoc vindicare neglexerunt, eadem infamiae pœna affici constituit Imperator Fridericus. 15) Potentiorum nomine titulos prædii affigentes, vel eorum nomina in litem prætendentes; ut & potentiores, qui se sponte alienis litibus, tanquam suis, inferri patiuntur, *l. unic. C. de his qui potent. nomin.* quæ pœna cessat, si quis non potentioris, sed æqualis vel
alius

alius nomen in lite præposuit, & tunc incurrit pœnam *l. fin. ff. de Rei Vindic.* ubi conventus rei vindicatione, qui negavit se possidere, convictus de mendacio perdit possessionem, si in ea reperiatur, cogiturque possessionem transferre, idque officio judicis & sine novo libello aut lite, *vid. Sichard. ad cit. l. unic. C. Perez. b. l. num. 2. Brunnem. b. l. num. 3. Costal. ad d. l. fin. de R. V.* Notarii quoque 16) si falsa instrumenta confecerint, ultra falsi pœnam ordinariam, fiunt infames & interdicuntur eis officio, *l. moris 9. §. 5. ff. de Pœn. Bartol. in l. un. C. de Infam.* Idem Notarii, si alias prohibitam alienationem contractumque legibus vetitum & improbatum conscripserint infames efficiuntur, *l. jubemus 14. §. his tabellionibus 5. C. de Sacrosanct. Eccles. §. callidis 2. F. 55. de Prohib. Feud. alienat. per Frideric.* quod etiam apud Ottonis Frisingensis continuatorem, *Radevicum lib. 2. cap. 7. extat.* Caveant igitur sedulo, ne quid sub & obreptitii conficiant super distractione rei minorum, fundi dotalis, aut contractus usurarii celebratione, similiter super mercatorum aliorumve mechanicorum artificum prohibitis pactis & conventionibus, de quibus *vid. Dn. Fritsch de Monopol. per tot. add. Ekholz. ad ff. tit. de Fid. Instrument. §. 3. Menoch. A J Q. cas. 581. Farinat. quest. 154 pr. Hostiens. in summ. de usur. §. 1. vers. quid de Notar. Guid. Pap. decis. 434.* Jungi possunt contractus simoniaci, super delicto aliquo, vel super actu proprio a se gesto, de quibus omnibus par esto ratio.

17) Administrator. Reip. conspiracyem adversus Remp. sub juris jurandi religione faciens, *l. pateat. 3. C. de Jurejur. propter calumn.* ubi etiam hujus rei fautores & focii ab omni publico honore sibi commisso infamie nota privantur. Tametsi, salva saniorum opinione, ego hanc legem nimium quantum spuriam esse crederem, prouti ex ejus inscriptione & cessante *insimul* subscriptione clarescit: quæ forte causa esse potuit, quamobrem ejus interpretationem omiserint tam *Glossa* ordinaria, quam etiam *Dd. communes.* 18) Inter reos annotatus, programmate in criminis causa proposito vocatus, non comparens: Criminalis, innuunt *Impp. Honor. &*

Theodos. in l. 3. C. de Requirend. Reis. programmatis tenor hanc tantam ferat de jure censuram, ut inter reos annotati non tantum patrimonium debeat transferre, sed & famæ existimationem lædere. Tamen si hic annotet *Gloss. verb. sed fame lit. o.* quod intra annum veniens & de crimine & de bonis audiatur; & postea veniens quodcumque audiatur de crimine, sed de bonis nunquam. Ratio interim, quare in criminalibus quis ut contumax condemnatus reddatur infamis, non inelegans ponitur inter alias & hæc quoque, quod absens contumax convictus præsumatur argumentis, quæ vel diluere non vult, vel non potest, vid. *Freher. de Infam. cap. 8. num. 17. Anton. Matth. de Crimin. tit. 18. c. 3. n. 8.* idque indistincte verum est, sive per inquisitionem, sive per accusationem procedatur, juxta *Brunnemann. ad l. c. n. 3.*

Th. XXIV. Liberi ejus, qui læsæ Majestatis reus est factus, l. quisquis s. §. filii 1. C. ad L. Jul. Majest. Quamvis enim alias ob delicta paterna filius non teneatur, tot. tit. C. ne Fil. pro patr. l. 26. ff. de Pœn. quod etiam a Deo severe prohibitum, adeo ut nulla potestas humana aliquem ob alienum delictum morte mulctare possit, quia obligatio ad pœnam ex merito oritur, meritum autem est personale, quippe ex voluntate ortum habens, qua nihil est magis nobis proprium, *Grot. l. 2. c. 21. §. 12.* & Imperatores ex misericordia viam filiis relinquentes aliquid humani passî esse videantur, per tradita *Covarruv. lib. 2. Rosol. c. 8. n. 1. vers. tert. Gutierrez. l. 2. Canon. quest. c. 30. num. 23.* Specialiter tamen hic receptum, ut etiam filii ex parentum crimine reddantur infames, & neque ab intestato, neque ex testamento quicquam capere possint, & quidem in perpetuum, vid. *Menoeb. Consil. 275. n. 33. §. segg.* idque antiquum & omnium civitatum ait *Cic. Epist. 15. ad Brutt.* Ratio hujus severitatis (1) est, quod in filiis hæreditarii vel paterni criminis exempla metuantur, per *S. 1. l. c. s. Farinac. quest. 16. num. 73.* item (2) ut parentes liberorum amore ab hoc atrocissimo & nocentissimo delicto arceantur, *Menoeb. conf. 99. num. 218. Ludwell. Ex. fin. 1b. 3. per tot.* Pœnam autem hanc infamix

famiæ non incurrunt filiz ob §. 3. l. c. uti nec nepotes, vid. Harprecht. ad §. publica autem num. 40. & seq. Instit. de Public. Judo. Farin. dist. quæst. 116. num. 19. 110. & seqq. Decian. l. 7. c. 41. num. 7. Anton. Matth. t. 2. c. 3. num. 16. Filios quoque ante commissum crimen excipiunt nonnulli, de his tamen vid. Farinac. tit. quæst. num. 91. Anton. Matth. l. c. num. 15. Naturales vero, cum filii vox proprie ipsis non competat, arg. §. si adversus ea. Instit. de Nupt. nec ipsis debeantur proximorum hæreditates, aut ipsi dignitatibus vel opibus facile pollere haud soleant, aut aliquid audere possint, similiter exemptos a tali pœna existimo, cum Anton. Matth. l. d. n. 14. dissentiente licet Farinac. l. c. num. 86. Sed hæc imprimis Romana fuere aliarumque Gentium fere communia de hac infamatione crimen læsæ Majestatis respiciente tradita; quæ hodie inter Christianos quam maxime in usu esse desierunt. Quo circa ipse quoque doctrinam de universa hac filiorum pœna elegantibus eruditorum pariter ac piorum & virtutis amanti-um virorum testimoniis, quæ prostant ap. Grot. de Jur. B. & P. l. 2. c. 21. §. 13. num. 2. & seq. obsignabo: Justum est, ait Philo, eorum esse pœnas, quorum sunt peccata; reprehendens morem quarundem gentium, quæ tyrannorum aut proditorum insones liberos morte puniebant; quem reprehendit & Dionysius Halicarnassensis, ostenditque iniquam esse rationem, quæ obtenditur, quod parentibus similes futuri putantur, cum id incertum sit, nec incertus ad mortem cujusquam sufficere debeat. Idem Philo libro de Pietate, haud scio, inquit, an possit ullum pejus induci institutum, quam si nec malos & bonis genitos sequatur pœna, nec bonos habebitur bonis, qui ex malis parentibus nati sunt. Nescio, quis Christiano Imperatori Arcadio, verba Grotii sunt, ausus est hoc dicere &c. Quod si tamen mitissime rem tractare velis, diceres ad conciliandum hosce nimium quantum dissentientes, l. alleg. quisquis. solum terroris gratia fuisse a Justiniano suo corpori Juris infestam, utut olim ab aliis populis in effectum & praxin fuerit deducta. Sed mitto hæc.

Th. XXV. 20) Tutores accedentes ad administrationem rerum pupillarum, nec tamen inventarium conficiendum, *l. fin. §. 1. C. Arbitr. Tutel.* Eo ipso quippe, quod inventarium conficere neglexerint, dolus praesumitur, *Gloss. ad l. c. nisi sublit aliqua causa necessaria, l. ff. de Administr. & pericul. Tutor.* aut testator confectioem inventarii remiserit, §. *cit. 1.* quo tamen casu librum rationum conficere tenentur, *Gutierrez. p. 2. c. 1. n. 113.* (Quandoque etiam iudicem ob utilitatem pupilli ex causa aliqua suspicionis confectioem inventarii injungere posse statuunt *Covarruv. l. 2. Resol. c. 14. num. 4. Molin. de J. & J. 223 n. 12.* vel alias res essent periturae, *l. 7. pr. de Administr. Tutor.* Hanc poenam quoque in matre locum habere, cum lex non distinguat, docent *Gutierrez. l. c. n. 12. & 15. Montan. Reg. §. n. 24.* ut & in tutore honorario, dum ipsi solvi queat, *l. 14. §. 1. ff. de Solution. add. Gutierrez. l. c. n. 13.* Verum de matre res adeo expedita non est, cum in omnibus actionibus famosis parentum ac patronorum fama parcendum sit verbis temperata. Similiter in patre legitimo administratore id non obtinet: is enim, juxta communem fere *Dd.* sententiam, nec ad rationes reddendas adstringitur, *vid. Mysing. cent. 2. observ. 93. num. 5.* ubi multas notabiles exceptiones & respective limitationes advertes, quas ego sum infecutus ipsissimis, aut brevioribus Autoris verbis: si tamen, asserit ille, pater esset perverſae conversationis, vel subesset periculum de dissipatione & alienatione bonorum filii, posset cogi per iudicium ad conficiendum inventarium. Tradunt etiam plerique pro cautela, ut tali casu per notarium in praesentia patris & filii & duorum amicorum fieret descriptio bonorum filii, quae non esset manifestanda: & hoc juris & bonorum conservatione filii, juxta *l. 1. §. si servus ff. de Ventr. in possess. mittend.* Nam per hujusmodi descriptionem auferretur via malignandi patri. Exercitii gratia movebo discursum, in quem incidi occasione hujus materiae apud *Bernhard. Wurmsfer. Practic. Observat. lib. 1. obs. 8. num. 3. pag. 124.* Tutor, innuit citatus jctus, non faciens inventarium, potest, ut

ut suspectus, removeri, *l. final. in fin. ibique Bartol. C. arbit. tut.*
 Item efficitur infamis, & in vincula detruditur, *d. l. fin. § l. 3.*
§. tutor. ff. de Suspect. tutor. quod intellige, si est humilis condi-
 tionis: secus tamen, si est in dignitate constitutus &c.
Hæc Wurmser. Possset igitur hoc loco disquiri, annon etiam
 in dignitate positus fiat infamis? Resp. quod maxime: Duc-
 cor ad hoc *arg. l. 8. C. de Episc. & Cleric.* ubi multo magis pœ-
 nadigni judicantur ii, quibus, cum plurimum honoris per
 Imperatoriam iussione delatum est, in crimine inveniuntur.
 Verba igitur *Wurmseri & Dd. finalia* restringenda ar-
 bitror ad detractionem in vincula, adeoque ad actum quen-
 dam præliminarem inquisitionem potissimum respicientem,
 qua peracta plenissimeque obtenta ad degradationis exau-
 ctorationisque punctum pervenitur, ita quidem, ut hoc
 demum modo infamis fiat, qui fuit ante maxime illustis.
 Ultimo annecto novum dubium: an verba *postea perpetua*
macula infamie notabuntur, neque ab Imperiali beneficio absolutione
hujus macule fruituri, in cit. l. fin. C. arbit. tutel. in Justiniano
 impòrent potestatis Majestaticæ totalem abdicationem, an
 saltem singularem determinationem, vel quod magis qua-
 drat, notabilem comminationem? Fateor, hoc thema magis
 ad causam efficientem spectare; interim credo posterius
 quum per illud multo potius Imperator displicentiam facti
 explicare voluerit, quam suum succursum extraordinari-
 um penitus supplicanti serio pœnitenti denegare. 2) Tutor
 vel curator ex pluribus tantum superstes satisfacere recusans.
l. 2. C. de Tut. & Curat. qui satis non deder. quod tamen intelli-
 gendum, si fraude id faciat: excusandus igitur, si propter
 inopiam satisfacere detrectet, *l. c. Monian. c. 32. Reg. 7. n. 15.* So-
 la namque paupertas non removet eum, si alias est diligens,
 sed cessatio satisfactionis propter inopiam, *l. suspectum §. ff. de*
susp. tutor. §. fin. Instit. b. t. Gloss. ad l. cit. 2. huic addas, si ex
 simplicitate & rusticitate satisfacere negaverit, secundum *Do-*
min. Cardinal. Tusch. conclus. 427. num. 16. lit. T. (simplicitas quip-
 pe dolo, qui semper attenditur, vacat:) similiter si alias pu-
 pillo

pillo utilia negotia gesserit, vel consanguineus ejus fuerit, aut communia cum ipso bona habuerit: has quippe circumstantias a dolo ipso excusare tradit *Tusch. l. c. pag. 247. cum Castr. lib. 1. consil. 356. num. 4. & seqq.* A satisfactione hac & per consequens a pœna propter ejus denegatam præstationem liberantur (a) tutores testamento dati; fides quippe eorum & diligentia a parte pupilli explorata aliam probationem non exigit: ut & (ß) tutores & curatores ex inquisitione a Præsidente dati; quia idonei judicati sunt, *l. 4. C. de Tutor. vel Curator. qui satis non deder. princ. Instit. de Satisfac. tut. vel curat. Perex. ad C. cit. tit. n. 1. Brunnem. ad l. c. 4. num. 1.* Imò & honestatem vitæ loco cautionis aliquando sufficere monet *Tiraquell. de Pœn. temp. caus. 51. num. 41.* An autem admittenda sit cautio juratoria? Negat *Petr. Barbof. ad l. 8. §. 28. ff. solut. matrim. cum per eandem non satis cautum fit pupillo, add. Andr. Gail. Observ. Cameral. 47. lib. 2. num. 7.* tanta tamen aliquando probitas & virtus alicujus esse poterit, ut omnem præsumtionem doli excludat, *jung. Brunnem. ad l. c. 2.* Sed quid moribus nostris de hoc themate *l. c. 2.* dicendum? Sane cum hodie omnes promiscue satisfacere teneantur (*vid. Politic. Ordin. de An. 1543. & 1577. tit. von Pupillen und minderjährigen Kindern §. 2. aad. Goedd. de Contrahend. Stripul. cap. 5. n. 318. Ludwell. Disp. 3. th. 8. lit. 3.*) videtur omnes, qui dolose satisfactionem recusaverunt, infamia promiscue manere, nisi forte parentes & patroni velis usque dum habere exceptos: tamen in genere leges in hoc odioso passu non parum connivere apud nostros condonareque soleant.

Th. XXVI. Cum olim Legum Professores alibi, quam Romæ in Capitolio, Constantinopolique & Beryti docere non poterant, (*vid. Du. Strauch. Beryt.*) erant enim hi iudicio Præsidis & Decreto Ordinis probati, usurpantes nomina Professorum propriaque autoritate munus publice docendi, cum ipsis tamen collatum non fuerit, exercentes ab Imp. Theod. & Valent. minitata insuper relegationis pœna, infamiae pœna afficiebantur, *l. unic. C. de Stud. liberalib. Urb. Rom. & Constantinop.*

tinop. Proœm. Digest. §. hæc autem 7. Sin autem vere Magistri fuerint, nondum tamen ex Ordine Professorum, intra privatos parietes studia sua exercere & studiosos instruere non prohibebantur, cum tantum illis, qui intra Capitolium erant ad docendum constituti, integrum esset privatim docere ac discipulis vacare, qui si secus fecissent, nil penitus ex privilegiis consequerentur, quæ Ordini eorum erant concessa, *cit. l. unic. §. illos seq. variam inductionem hujus legis ad casus similes vid. ap. Dd. quis jung. Perez. h. l. num. 4.* Infamia insuper 23. notatur generaliter ad mortem ex publico judicio condemnatus *l. 1. ff. de his q. not. infam. Wesenb. h. t. num. 5. & Consil. 19. vol. 1. Hartmann. Pistor. Observ. 117.* quæ infamia omnem fidem enervat omnemque dignitatem adimit, *l. 2. C. de Dignit. ibique Gloss. add. l. 7. ff. Publ. Jud.* Attestantur de praxi moderna Scabinii Lipsienses *apud Carpzov. prax. Crimin. part. 4. quest. 176. num. 48. in verb.* Ob es nun wohl an demes/ daß ein armer Sünder durch die Ihm zuerkante Todes- & Straffe anrücklich und Ehrloß wird/ derowegen männiglichem außerhalb seines Amts und des Nothfalls/ sonderliche Gemeinshafft mit ihme zu pflegen nicht unbillig Bedencken trägtet, Quare etiam in personis, quæ in singulari dignitate politica (quam alias cum titulo vocant,) constitutz fuere, solet præcedere solennis exauctoratio, *add. ib. præced. num. 20. in fin.* Sunt autem tales v. g. principum consilarii & ministri, doctores, magistri, poëta, notarii, clerici, milites, &c. *vid. Besold. Thesaur. Practic. verb.* Einsetzung der Ehren. Exemplum singularis degradationis modernæ, quæ mortem præcessit, prostat in *Tract. Rubr. Jüngst herausgegebenes rechtmäßiges Urtheil über den ehe dessen höchstberühmten Grafen Madastii/ &c. de dato Wien d. 28. April. 1671. verb.* hierauf hat der Land-Usbieter eine Rede gethan und ihn Madasti anfangs darin allseit einen Grafen und Herrn genennet/ nachmahls aber ledlichen gemeldet: das ist er gewesen/ numehr aber nimmermehr/ sondern du Verrähter ic. du bist und bleibest entsetzt deines Namens/ Ehr/ Würde ic. *Similem denique infamiæ poenam 24. in animadversio-*

nibus corporis afflictivis v. gr. manus amputatione, fustigatione, stigmatis inustione &c. locum habere, nemo hodie facile negabit: licet enim fustium ictus infamiam per se non importet, ut Marcellus docet in *l. 22. ff. de his qui not. infam.* nisi præcesserit causa & delictum famosum; interim tamen (verba sunt *Carpzov. l. c. num. 49.*) quia pœna corporalis non imponi solet, nisi ex publico iudicio & causa famosa condemnato; utique fustigatum pro infami regulariter haberi certissimum est, *arg. l. 1. ff. de his q. n. inf.* Ac certe fustigationem hodie infamiz notam inurere nemo facile negaverit; *Hac Carpzov.* ejus in asserto nihilominus mihi illud dubium remanet, quod fustigatio aliquando etiam propter culpam latam imponatur, quæ tamen a dolo formaliter differt; imo & propter culpam imputativam, licet dolus abfuerit, in certis casibus pœna capitibus infligatur, *vid. l. 38. §. 5. de Pœn.* Jam vero, ubi nullus dolus prævius, ibi nulla sequitur infamia. Sed rem alius aliis cogitandam relinquo.

Th. XXVII. Restat ultimum objecti membrum infamia, quæ iudicis sententia imponitur, quando scilicet, deficiente *Eckoh. b. t. §. 11.* lex commissum factum non statim infamia dignum iudicat, sed arbitrio iudicis permittit: verum de hoc, satis quippe prolixus in duobus prioribus, verba hac vice plura non faciam. Ad Formam potius pergendum mihi, quæ secum involvit accuratam causæ cognitionem diligentemque circumstantiarum (puta personarum, locorum &c.) circumspeditionem. Verum cum Imperatoris sive summi principis voluntas pro causa habeatur, uti asserit *Decis. Consl. 264. & Consl. 292.* adeo ut nec causæ ei cognitione opus sit, ideo celebranda hic potius ejusdem clementia pœnitentibus restitui rogantibus prompta ac parata, quæ imperantium quasi propria pares ipsos DEO facit, in quantum naturæ nostræ infirmitas impossibilitatem non secum involvit, per *Gloss. in l. Imperialis C. de Nupt. confer. l. fin. C. de Donat. inr. Vir. & Uxor.* ut inde etiam titulum von Gnaden teneant, quem cum ad causas impulsivas in

16, 17.

th. n. huj. Dissert. retulerim, ideo plura hic de eo proferre superfedeo. Hoc tamen addere lubet, circa causæ cognitionem maxime hic notandum esse, in pœnarum remissione dispensare Principem vel magistratum, dum reum criminini obnoxium ex singulari gratia pœnæ eximit, vel eam in totum condonando, vel pœnam corporalem in pecuniariam commutando, vel condemnando ac mox reum restituendo, prout quotidie fieri videmus. In hac tamen condonatione ac restitutione difficilis ut sit, publice interest, propter bonum publicum ac ut aliorum exemplo reliqui deterreantur, l. 9. §. 11. ff. de Pœn. l. 17. ff. ad Sct. Turpillian. t. t. C. de Sentent. pass. & restit. D. XI. zu Speyer de Ann. 1526. s. es soll auch. Ne nimia lenitas condonandi & restituendi occasionem præbeat peccandi, incendivumque tribuat delinquendi. Moderationem ergo, ut in omnibus rebus, ita & in hac Principe servabit, quo omnia cum dignitate, cum Reip. salute, cum justa severitatis ac clementiæ laude agat; nihil tamen in præjudicium partis aut fisci sui: cum strictè intelligenda sit gratia principis, sine damno tertii. Lenitas enim vitium est non minus Reip. perniciosum, quam crudelitas: exinde namque criminosi & turbatores pacis publicæ invalescunt, Leonh. Less. de J. & J. lib. 4. cap. 4. dub. 5. n. 42. p. 651. Sciendum autem, delicta committi vel contra jus naturæ & gentium, vel contra jus divinum, vel contra jus civile: horumque quædam summum Monarcham, Deum puta, principaliter offendere, quædam proximum. De illis delictis notandum, quod in ipsis dispensatio & restitutio nullo modo locum habeat; in his vero regulariter iisdem non indulgendum, nisi justa aliqua de causa. Quædam ipsum Principem & Reip. Statum offendunt, vel denique jus civile: & eorum dispensatio aut restitutio consistit in Imperantium arbitrio; cum laudabile certe magnique animi sit indicium, si Imperantes propriam injuriam mera gratia vindicent, eorundemque honor dependeat a damnotorum restitutione ac ignoscendi gloria. arg. t. t. C. de Sentent. pass. & restit. l. 4. l. 9. §. 11. ff. de Pœn. l. 27.

l. 31. h. t. Reinking. de Regim. Secul. & Eccles. lib. 2. class. 1. c. 8. num. 82.
 Officio autem imperantium convenit, ita concedere indulgentiam, ne lapsus a justitia, nec delinquens a misericordia penitus excludantur: Sed ne extra oleas. Formulæ restitutionum Famæ prostant, uti apud alios passim, ita imprimis, ratione priorum actorum, apud *Dn. Otton. Hypotypos. 17. pag. 114.* ex quibus in specie notanda adopinor verba nervum totius actus exprimentia: Thue deshalben Vermöge obbermercker empfangener Keyserlichen Vollmacht und Gewalt/ auch darüber ausgefertigten Begnadigungs-Briefs in der besten und beständigsten Weise und Form/ mit N. N. öfters angeführter Schmach, Vermailigung und infamien halber/ darinnen sie mit der That und von Rechts wegen weyland gefallen/ dispensiren/ und dieselben in den Ehrenstand anderer ehrlicher Leute restituiren/ setzen und erheben/ thue auch hievmit und in Krafft dieses Briefs/ also/ daß N. N. ihre Kinder/ Erben und Nachkommen solcher Fürwurf und Vernachtheilung weder inner noch aufferhalb Gerichts/ noch sonst in einiger anderer Weise/ zu keiner Schmach und Schande hinübri mehr gereichen/ sondern zu allen Ehren/ Sachen/ Handlungen/ Geschäften und Erbschafften/ sie kämen gleich ex testamento oder ab intestato ohne Verweigerung zugelassen werden/ auch aller und jeder Gnaden/ Freyheiten/ Vortheil/ Recht/ Gerechtigkeit und Gewohnheiten/ nicht weniger Bürger-Rechten in Städten/ Flecken und Dörffern/ dann in dem loco delicti und angehörigen Gebieth zc. zu haben/ inmassen untadelhafte Personen in Geist- und Weltlichen Sachen gebühret/ tauglich/ geschickt und gut seyn.

Th. XXIIIX, Effectus restitutionis nostræ ex formula jam tradita communi: Wir setzen Euch in den vorigen Stand und Würde/ ut plurimum colligi poterit, ita quidem, ut in restitutione speciali (secus in generali, *vid. thes. seq.*) omnis macula adimatur, ac restitutus famam, existimationem

tionem ac reditum in patriam recipiat, omnesque facultates, quibus per infamiam privatus erat, ut exercere ea possit, quæ alius quilibet vir bonus suæ conditionis. Omnis quippe macula ex principis, qui omnia potest, beneficio penitus delata censetur, adeo ut nomen viri ingenui ac honesti de novo recipiat, nec objici ei amplius a quoquam infamia possit; videatur formula restitutionis Theodorici Regis, quam refert *Cassiodor. lib. 3. varior. c. 46.* & sequitur *Freber. de infam. lib. 3. cap. 30.* ubi ait, fas esse Principi maculosas notas vitiatae opinionis abstergere, & supplicanti hac lege sex mensium exilium irrogatur, ut eo tempore exacto nulli sub qualibet interpretatione liceat crimen infamiae objicere, sed tunc patriæ rebusque omnibus reddatur, & liberum jus omne habeat, quod primitus; idque sub pœnatium librarum auri, *add. Bald. ad l. Imperialis 23. §. itaque cum 1. verb. quasi nulla inhonesta vita precedente C. de Nupt.* ubi, facta restitutione per principem, omnem ex toto maculam aboleri ait, ac bannitorum integre restitutorum nomen per eandem restitutionem abolitum esse ac æquiparari cæteris statu: cum nomine sublato nominis præjudicium tollatur. Hinc (1) juxta *Andr. de Isern. in c. 1. que fuit prim. caus. benef. amitt. 2. F. 24.* si princeps aliquem proditorem restituat, eundem pater exhæredare minime potest post restitutionem. Quid autem juris, si ante restitutionem exhæredatus quis fuerit, an testamentum hoc valeat, ita ut debeat rescindi mortuo Patre per querelam inofficiosi, an nullum dici? Putarem neutram locutionem hic satis applicabilem esse; nec enim pater tempore conditi testamenti filium sceleratum exhæredando contra officium paternæ pietatis egit, nec ullo modo formam testamentariam violavit: quare dicerem ego, hoc testamentum legitime compositum per hanc restitutionem rumpi, fictione scilicet juris & quasi civili agnoscentia sui novi hæredis legitimati. (2) Postulare poterunt; cum Prætor *l. 1. §. 9. ff. de Postuland.* excipiat eos, qui secundum §§. *preced.* ex prohibitis in integrum restituti non fuerunt. (3) Testimonium ferre queunt,

c. testimonium x. de Testib. Barb. in Tract. de Testib. part. 2. in princ.
 item (4) Arbitrium suscipere, etiam ex forma statuti, ut per
Abb. & Dec. in c. seiscitatus de Rescript. Marc. Anton. Blanc. in tract.
de Compromiss. q. 7. n. 6. Injuriarum etiam (5) contra infami-
 am ipsis objicientem competit actio, *Dd. ad cit. l. Imperialis.*
 An vero hac experiri possint, si quis dicat, *tu fuisti v. g. proditor.*
 quaestio est? Negat *Andr. de Ifern. arg. l. cum qui nocentem.*
28. ff. de Injur. idem statuere videtur *Bald. ap. Freber. l. c. asse-*
rens, spurios legitimatos non debere amplius vocari spurios,
sed impune dici posse: tu fuisti spurius. Ergo missis Docto-
 rum opinionibus id unice inspiciendum arbitror, quae fuerit
 mens talia objicientis: quamvis hoc facile largiri velim, eum,
 qui injuriam sibi ad animum revocavit, probare debere, verba
 praedicta proferentem animum injuriandi habuisse, sicuti i-
 dem *Dd. Practici* volunt, quando quis aliquem virum bonum
 eum guten Mann/ vocaverit, illeque quasi se cornigerum vo-
 rum esse, interpretari voluerit. Quilibet namque in hisce a-
 diaphoris praesumitur bona mente locutus, donec contrarium
 expresse prostat.

Th. XXIX. Intuitu effectuum haecenus allegatorum
 quasdam hoc loco formare lubet quaestiones, quarum prima
 esto: An sententiam passus & restitutus, sicque suam famam
 & honores recuperans bona interim alienata recipiat, sive an
 bona, quae jam ante sua erant, nunc vero tertio quaesita sunt,
 recuperet? Negat hoc *Eckolt. ad tit. ff. de Sentent. pass. & restit. § 2.*
p. 387. Distinguendum mihi videtur cum *Hahn. ad Wesenb. cit.*
tit. n. 3. inter restitutionem ex justitia factam & ex gratia (quam
 divisionem repetii in *ib. seq.*) Illa quippe extenditur etiam ad
 alienata & jura alteri quaesita, quia, utpote juris plenissima est,
 quo inclinatur *Mejer. C. J. A. h. t.* Haec vero ad bona ante absolu-
 tionem vel restitutionem alienata, honores scilicet vel dignitates
 aliis collatas non porrigitur: beneficia namque Principis ac-
 ciipienda sunt salvo jure tertii, *l. 2 § 16 ff. ne quid in loc. publi. vel itin.*
l. nec avus C. de Em. incip. Andr. Gail. de PP. lib. 2. 19. n. 3. & seqq. tit. n. 33.
 Idem dicendum videtur de locis ab aliis occupatis, de quibus
 vid.

vid. cap. *quavis de Rescript. in 6to. ibique Gloss. verb. cum talis l. 2. ff. de Decurion. l. ordine ff. ad Municipal. l. 2. C. de iis qui in exil. dat. lib. 10. l. falsi § ordine ad l. Corn. de Fals. ibique Gloss. recuperare. Secundo quæritur: An quæ tertius, pro jure domini hæcten us quæsit, imminuit, alienavit, bona fide donavit &c. a restituito exigì possint? Multis id iniquum videtur statuere; cum ne quidem a bonæ fidei possessoribus debeantur; maxime que id obtinere in jurisdictione territorisque tertio concessis, ne videlicet restitutione facta, concessiones, judicia, investituræ eorum, qui ejusmodi territoriis præfuerunt, cum multorum incommodo annihilentur, vid. l. Barbarius ibique Dd. cum Jason. num. 60. & seqq. de Offic. Prætor. Mihi nulla hic subesse videtur iniquitas, cum semper Domini veri conditio prævalere debeat, & obligatio, quæ ex dominio oritur, de qua vid. Hug. Grotius l. 2. cap. 10. per tot. ex naturalis æquitatis dictamine hoc secum involvat: Huc facit canon juris tritissimus: non debere alteri per alterum iniquiorem conditionem inferri. Dominus igitur restitutus ex rescripto *justitiæ* rem petit a bonæ fidei possessore: hic denuo regressum sumat ad eum, a quo restitui rem aut bona accepit: Plura eaque per distincta exempla eleganter examinata legere poteris apud Grot. l. c. Tertio dubitatur: An restitutus fructus bonorum suorum recuperet? Distinguendum credo inter perceptos & extantes; illos quippe, cum secundum Dd. a bonæ fidei possessoribus non restituantur, repetere minime poterit, add. *Ordin. Camer. part. 3. tit. 26. §. Bon. auch circ. fin.* (secus tamen si ex iis factus fuerit locupletior, secundum Moralistas, quos insequuntur multorum locorum Dd. Præfici; item si Princeps bona cum fructibus restitui specialiter jusserit, arg. l. 1. 2. § 4 C. h. r. Wissenb. part. 2. Disp. ad n. 39. ib. 29.) Extantes autem competente ad hoc imploratione officii judicis restituendi sunt. Eckolt. pag. 887. Hahn. p. 545. Obstare huic distinctioni videtur Jason. ad L. Gallus §. & quid sit tantum num. 64. & 69. afferens, verbum *restitutionis* plenissimam signi-*

significationem habere fructusque comprehendere, *l. videamus 2. §. in Faviana ff. de Usur. l. in condemnatione §. 1. ff. de Reg. Jur. l. Julianus l. §. idem Julianus l. praterea ff. de R. V. l. inconditione §. 1. l. cum prator. l. fin. §. fin. de V. S. cap. accedens x. ut lit. non contest. cujus sententiam ante ipsam fovit Nellius in pr. part. tert. temp. quæst. 7. interim tamen a communi, quam confirmat *cit. §. Wo auch Ord. Camer. non est recedendum. Quarto* quæritur, an restitutus extra restituentis territorium pro tali debeat agnosci? quod utriusque affirmandum ex notissima talionis lege, *vid. Besold. de Majest. 6. 4. n. 6. §. 1. Polit. 4. num. 13. Quæritur quinto: an Doctor civitate pulsus & postea restitutus locum pristinum in Dd. Collegio recuperet? Negat Bartol. in l. 2. num. 1. ff. de Decurion. eumque pro novitio habendum asserit, add. Id. in L. Gallus §. §. quid sitantum num. 12. Mihi res ex distinctione in th. preced. tradita inter restitutionem ex fonte justitiæ & gratiæ videtur decidenda.**

Th. XXX. Haud inepte sexto ad hunc locum quadrare videtur casus sequens: Titia a Senatu quodam Provinciali beneficii graviter suspecta, & propterea per specialem inquisitionem rea facta, urgentibus indiciis torturæ subjicitur, legitimo Scabinatus assensu prævio, in qua nihil præterea confessa, nihilominus propter gravantem legitimam suspicionem emigrationem subire cogitur. Sed ecce frater ejusdem Comes Palatinus, Comitiva sua fretus, audet citato Magistratui minitendo inbibere, ne ulterius procedat, quatenus nimirum ex concessa sibi Casarea Potestate ipsam famæ restituisset, inque eum statum, ut hæctenus viva inculpatione in posterum in totum mortificata censi debet. Quæritur quid juris? Pro intentione Comitris Palatini videtur militare tenor, quem etiam restitutioni suæ insinuarat Verbis communiter alias, ut ex præcedente formula constat, adhibere solitis: gleicher gestalt geben Wir auch obgemeldtem N. N. unsere vollkommene Macht und Gewalt/ mit allen und jeden Verläumbden und infamirten Personen/ solcher

solcher ihrer Vermailligung/ Schmach und infamien halber/ darcin sie mit der That oder Rechts wegen gefallen wären/ oder seyn möchten/ zu dispensiren/ dieselbe Schmach/ Fehl und Vermaillung von ihnen aufzuheben und zu vertilgen/ und sie in vorigen Stand wiederum zu setzen/ zu restituiren und zu erheben/ also/ daß sie nach solcher restitution zu allen Ehren/ Würden/ Aemtern/ Sachen/ Handlungen und Geschäften zugelassen werden/ dieselben nach ihrer Nothdurfft und Gefallen üben und treiben/ und darzu tauglich und gut seyn sollen und mögen/ in allermaßen als ob sie in einige Verläumdung nie kommen wären/ ungeirret männiglich etc. *Speciosa hæc sunt, fateor. Verum tamen Scabini requisiti ab allegato Magistratu, ob sie dann dergleichen Comitiv, worinnen denen/ so demselben sich niedrig bezeigen würden/ eine hohe Straff auff viele Marck lötiges Goldes/ gedrohet/ dergestalt zu respectiren/ daß sie die inculpirte Weibs-Person in der Stadt fernere dulden müsten. suam priorem sententiam denuo confirmarunt. Pro quibus, ut rationes decidendi eorundem, (quæ tum temporis ipsos movere potuerunt,) me hæcenus latuerint, facere videtur, quod imposta emigratio actus jurisdictionalis sit, quem ne quidem Casarea Majestas, multo minus ejusdem delegatus, qualis est hoc loco Comes Palatinus, Superioritati alicujus Status territoriali diminuere velle præsumi debeat. Quare nihilominus scandali vitandi ergo illa, ut emigret, daß sie die Gerichte räumen/ und mit würck- und wesentlicher Wohnung sich anderwärts auffhalte/ (alia enim videtur deportatio & relegatio,) optime cogi potuit, cum in hoc jus questum, radicale & quasi plenario Dominii jure concessum, prætereundum nequiverit. Possit hic mihi ansa dari ad questum Publicistarum vexatissimum: Wie weit der hohen Obrigkeit Landes-Schutz/ welchen sie den Unterthanen versprochen/ sich erstrecke/ posito, daß selbige aus bewegenden Ursachen einige Unterthanen in individuo nicht mehr zu dulden willens? Sed mitto illud, solamque in memoriam re-*

H

VOCO

voco reformandi facultatem concessam per *Instrument. Pauc. Ornabrug. art. V. & VII.*

Th. XXXI. Septimo quaeritur: An ex adverso, patre restituto, filii testamentum corruat? Quod *negant. Glossa Irnerius, Cujacius & Bald. n. 8. in l. ult. C. de Sentent. Pass. & Restitut.* cum factum sit ab eo, qui sui juris, & Imperator omnia per filium gesta valere, generaliter dicat in *d. l. ult.* nec ob stare videatur, quod patre capto testari nequeat filius in civitate existens, *l. 2. §. 3. ff. unde legit.* incertus quippe tunc de statu suo, quamdiu pater ab hostibus reverti potest, talem autem non recte testari pater ex *l. i. ff. qui testum. facer.* neque enim captivitas propter jus postliminii facit statum filii certum: deportatio autem patris absolute filium sui juris facit, nihil faciente spe restitutionis, quæ, utpote remota, statum filii suspendere nequit: *Affirmativum* autem tenent *Basilica & Joann. ad l. c.* propterea, quod in eum statim venerit, a quo inchoari nequit, ut quia nunc filius non sui, sed alieni juris videtur, *d. l. ult. pr.* & sic factum testamentum de rebus, quæ ejus non fuere jure pleno. Ad verba Imperatoris in *l. ult. §. 4.* omnia per filium gesta rata esse, responderi poterit, accipienda ea esse de contractibus, quod indicat verbum *Gestum*, juxta *l. 20. ff. de verbor. signif.* (utut hanc restitutionem ad contractus rationem ab Imperatore additam non admittere cum *Bald. l. c. n. 8.* statuatur *Brunnem. ad cit. l. ult. n. 3.*) non de iis, quæ plenam perfectionem nondum consecuta sunt, ut testamentum, quod vires ex morte disponentis accipit, *l. 4. ff. de ademt. Legat.* Quid autem octavo dicendum, si ante restitutionem filius fuerit mortuus? similiter testamentum ejus firmum manere certum est, quasi legitime conditum, eo quod non devenerit in casum, a quo inchoari non possit, *add. Gloss. in d. l. ult. in pr.* habeatque locum ratio, quod absurdum, eodem tempore nec in patris, nec in sua quempiam fuisse potestate, & sic jus quaesitum per mortem testatoris constet. Hæredibus tamen hujusmodi bona iterum auferri posse credo, propter restitutionem patris; quia causa v. gr. deportatio-

nis,

nis, ob quam ad eos bona devenere, jam redacta est ad non causam. Huc facit *Auth. Idem est de Nestorianis & Acephalis &c. C. de Heret.* ubi liberi hæretici exhæredati, si revertantur ad fidem, non quidem testamentum parentum rescindunt, quia legitime factum; orthodoxis tamen fratribus partem auferunt: maxime autem hic attendenda venit distinctio inter restitutionem gratiæ & justitiæ, de qua *thes. seq.* plura afferri possent. Sed iis missis solum generaliter de divisione restitutionis nostræ pauca videbo.

Th. XXXII. Adjiciam nunc paucis Restitutionis famæ Divisiones, quarum generalis esto, quod alia sit *justitiæ*, alia *gratiæ*. Illa est, cum lex pro præmio aliquem restituit, cujus exemplum est in *l. un. §. 2. ff. ad Leg. Jul. de ambit.* Hæc fit, cum Princeps aliquem famæ restituit. Hoc autem facit (1) *vel expresse*, per Rescriptum, *vel tacite*: restitutionis quippe vim vel efficaciam habere constat, si Princeps reum ad dignitates & officia ponat, quæ, nisi integer homo, gerere non possit, ut tunc infamiam ei remisse videatur ac credatur, per *text. l. Imperialis 23. §. similes vero, 4. C. de Nupt. & Gloss. in c. præterea x. de testib. cogend.* quæ dicit, quod ubi infamia præcessit assumptionem alicujus officii, tunc infamia a testimonio non repellit: Superior enim assumendo infamem ad officium, illa infamia non obstante, super eadem dispensare videtur, per notata in *c. diversis X. de Cler. conjung. c. veniens de fil. presbyt. l. quidem consulebat. 57. ff. de Re judic.* similiter judici a Principe ex certa scientia dato non posse objici infamiam omni dubio caret, cum Princepseo ipso eam tacite remiserit, ipsumque habilem fecerit commissa exequendi, *Freher. l. 3. c. 26. n. 9.* Hæc vero tunc procedere credo, quando Principi de infamia illius personæ constat, & sic ex certa scientia infamem promoverit; vel saltem quando crimen, ex quo infamia processerat, erat publice notum vel famosum, ita quod verisimiliter ad notitiam & aures superioris transiverit. Secus igitur de occulto dicendum, quia tunc super illo nullatenus dispensatum videtur, sed potius ipsi, qui tacuit,

imputandum, per *notat. in c. exposuisti X. de corp. vitiat. & in c. cum non ignoret. X. de prebend.* An autem, si durante officio infamia superveniat, nec tamen removeatur, idem dicendum? *vid. Freher. lib. 3. c. 30. num. 14. ubi num. seq. exemplum elegans de Fl. Archippo Philosopho adducit. (2) vel generaliter, quæ restitutio pœnam saltem remittit, l. antepenult. C. de sentent. pass. & restit. vel specialiter, qua famam, bona, honores atque potestatem patriam restitutus recuperat, § 1 in fin. Instit. quib. mod. jus Patr. Pot. solv. l. ult. C. titul. citat. add. Habn. ad Wesenb. Tit. de sentent. pass. & restitut. num. 2. pluresque alii.*

Th. XXXIII. Succedunt jam, seposita vera restitutione, personæ, quæ levis notæ macula laborant: hæ tamen infames non sunt, adeoque restitutione propriæ non indigent. Ex his (1) producam Linifices, Opiliones, Molitores, Telonarios, Tibicines, Tubicines, Tonsores & Balneatores; tamen si hos ne quidem levis notæ macula laborare rectius statueris: proinde irrationabile illud quorundam locorum statuum, quod in multis opificiis Imperii conventibus abrogatum, uti patet ex *Reform. Güter Pollicey zu Augspurg de Anno 1548. tit. von Handwercks Söhnen/ Gesellen/ Knechten/ und Lehr Knaben. §. als auch an etlichen Dröthen der Gebrauch ist/ daß die Leinweber/ Barbierer/ Müller/ und dergleichen Handwerker in den Zünfften zu andern/ dann ihrer Eltern Handwerck/ nicht auffgenommen noch gezogen werden/ und aber ja unbillich/ daß diejenigen/ so eines ehlichen Herkommens/ Handels und Wesens/ ausgeschlossen werden solten/ so wollen wir solche beschwerliche Gebräuche oder Gewohnheiten hiermit auffhebt und vernichtet haben; Sehen/ ordnen und wollen demnach/ daß die Leinweber/ Barbierer/ Schäfer/ Müller/ Zöllner/ Pfeiffer/ Trompeter/ Bader/ und die deren Eltern/ davon sie geböhren sind/ und ihre Kinder/ so sie sich Ehlich und wohl gehalten haben/ hinführo in Zünfften/ Wäffeln/ Ambten und Gulden/ keinesweges ausgeschlossen/ sondern wie andere redliche Handwerker aufgenommen und darzu gezogen*

gezogen werden sollen. Quod repetitur in Policiey-Ordnung zu Franckfurth *de anno 1577. tit. 38.* (2) Carnifices vel exco-riatores; licet n. prædictæ personæ pro famosis vulgo ha-beantur; interim tamen non sunt, cum actiones inter alia Injuriarum ipsis competant; propterea Scabini Hallenses *apud Richter. Decif. 80. num. 23.* hunc in modum pronuncia-runt: Hat ein Schösser einen Scharfrichter oder Abdecker/ dessen Vorfahren gleichfals solche Arbeit gepflogen/ ohne ge-gebene Ursach/ 2c. vor einen Schelmen gescholten; Dieweil a-ber gemeldten Schösser solches nicht gebühret/ so ist derowegen der injuriat ihn zum Abtrag Sächsischer Rechte zu bringen wohl befugt. Idem in eadem causa responderunt Scabini Jenenses *Mens. Jun. 1607. P. P.* Endlichen ihn mit Worten an-gegriffen und gesagt/ er were ein Schelm/ der Abdecker geant-wortet/ er wäre kein Schelm: Der Schösser geantwortet/ es wären alle Schelme/ die die Pferde schinden und geschunden hätten. Wann nun jetztgedachtem Schösser der erwehnte Abdecker/ eurem Bericht nach/ keine Ursache zu solchen Wor-ten gegeben/ so ist er ihn injuriarum vorzunehmen wohl befugt. Ratione tamen vulgi, observantiam suam prætendentis, Car-nificem a se famæ restitutum videmus *apud cit. Dn. Otto Hypo-typ. 17. p. 109. & seq. verb.* So habe ich demnach 2c. ihn vor der angeregten Schmach und infamia aus Keyserlicher Ma-jestät Macht absolviret/ und in den Stand/ Ehr und Würde/ anderer ehrlichen und redlichen Urzt und Leute nach Aufge-bung seines Ampts restituirt und gesetzt 2c. (3) Torturæ ex sufficientibus indiciis subiectos; qui tamen tormenta constanter toleravere, nec dolori cessere, atque ita, dum ni-hil confessi, postmodum a Magistratu innocentes declarati fuere, *add. Dn. Richter. cit. Decision. 80. num. 30.* purgasse quippe omnia indicia & probationes contra se factas, suamque in-nocentiam abunde comprobasse videntur, & jam velut innocenter spectati absolvi deque carcere relaxari debent, ut in *tot. tit. ff. de custod. Reor. Salicet. in l. ea quidem C. de Accusa-tion. & in l. si qui adulteri C. de Adulter. & in l. Quisquis 5. C.*

ad L. Jul. Majest. add. Hippol. de Marsil. in pract. crimin. num. 48. cum seqq. itaque multo minus testis testimonii dicendi causa tortus (quod vilioribus olim fieri solebat) infamis inde efficitur, ut tradit Jacob. de Bur. quem sequuntur Bartol. & Salicet in l. Nullam existimationis infamiam s. C. ex quib. caus. infam. irrogat.

Th. XXXIV. (4) Cedentes bonis; bonis cum cedere est de genere permissorum & indifferens, nec probrum aliquod, unde & beneficium juris dicitur, l. 1. C. qui bon. ceder. poss. Cum enim olim ante L. Juliam debitores, qui non erant solvendo, in vincula conjicerentur, & creditoribus addicerentur, quousque se alieno ære liberassent, de quo vid. Gell. lib. 20. c. 1. Quintil. lib. 3. Instit. Orator. c. 6. & si plures erant creditores, additione facta in partes corpora secare & dividere liceret (in usum tamen nunquam pervenisse dicitur, Petro Gudelino de jur. novissim. lib. 4. c. 16. vers. extrem.) quod cum contra naturam humanam sit mortuos dissecare aut etiam ullo modo vexare vel inquietare, ut supra th. 20. latius deductum, mitius cum iis agi cœptum, induxitque in urbem Lex Julia beneficium cessionis bonorum. Hoc autem de iis intelligendum absque dubio erit, qui nullo dolo culpave prævia, sed infortunio suo in paupertatem incidere, l. sui qui 16. ff. de Re judic. junct. l. 3. §. tutores §. de suspect. tutor. l. 11. C. qui bon. ceder. poss. secus igitur statuendum de decoctoribus publicis, qui l. 2. C. de Palat. Sacr. largit. l. 40. C. de Decurion. cum hi ne quidem bonis cedere possint, utut dissentiat Manx. patrocini. debitor. de paupertat. Dec. 2. q. 87. & 88. similiter illos, quibus aliquid culpæ imputari potest, levem aliquem maculam contrahere non est dubitandum. Facessat igitur consuetudo, quam allegat Marguard. de Jur. Mercat. lib. 2. c. 14. num. 17. apud Amaltesanos, ubi bonis cedentes linteamen & pecten habent, caputque in terram sedendo pectinant, dicentes: cedo bonis, add. Arum. Vol. 3. Disc. Academic. conclus. Item apud Italos hæc consuetudo inolevit, quod cedens bonis in publico & notorio loco incedat nudas, ut posteriora ter ad lapidē vel columnam percu-

percutiat clamando: Cedo bonis! Qualis lapis reperitur adhuc Patavii in Curia, cui incisa sunt hæc verba: *Lapis vituperii cessionisque honorum.* Merito igitur *Marq. l.c.* inquit: cum tales consuetudines currant contra bonos mores, in nostro imperio illæ non usurpantur, nec ulla solennitas requiritur. (5) Nati ex illegitimis aut sceleratis nuptiis ab uno contrahentium ignoranter contractis: patet hoc ex sententia Helmstadiensium apud *Hahn ad Wesenb. tit. de his q. not. infam. verb.* Ob nun wohl N. nicht gebühret hat/ bey Leben seiner zuvor genommene Ehe-Frau sie zu verlassen/ und eine andere anderswo zu nehmen? Nach dem gleich wohl dieselbe andere Frau/ seiner noch wehrenden Ehe unwissend ihn öffentlich/ als zur Ehe/ ihr durch den Priester zusprechen lassen/ daß demnach der von ihm und ihr geborne Sohn/ nach besage der Rechte/ pro legitime nato zu halten. Reliqua huc facientia in aliis cognatis materiis mittere cogor:


Quandoquidem Tempus jam me vela contrahere receptuique canere jubet, in primis dum chartæ excrescentia præter opinionem paginas condensavit. Poteris ex his L. B. de jure restituendæ famæ, ejus definitione; causa efficiente, tam totali quam partiali, tam remota quam propinqua, tam principali quam instrumentali; finali, subjecto, forma & effectu pro lubitu judicare, Tuumque (modo maturum & defecatum) sentire addere. De divisionibus Restitutionis incidenter agere volui, cum earum doctrina adeo intricata aut abstrusa mihi non appa-

appareat. Cognata paulo latius discussi, id-
 que potissimum ideo, quod ex imperitia
 vulgi ejusmodi cum infamiae macula labo-
 rantibus perverse saepius confundantur.
 Perlege solum, si vacat, theses meas; utere,
 si quid Tibi ad palatum prostat; imo, mea
 pace, ex beneplacito Tuo proprio liberrime
 fruire. Scripsi enim velitationem solen-
 nem in Cathedra Jctorum habendam, mi-
 nime Tractatum aut Opus quoddam, quod
 Alii elaborent perfectiores, consumma-
 tum. Vale & minus congrue posita, secun-
 dum Tuum sanius dictatum Rationis, pro-
 uti ipse velis, corrige, odisseque noli Tu-
 um, qui semper Te amabit,
 CORIARIUM.

DEO interim Ter Optimo Ter Maximo
 pro paterna sua eaque felicissima assi-
 stentia sit laus, honor & gloria.



SUBSE.



SUBSEQVITUR ULTERIORIS EXERCITII
GRATIA

THESIUM MISCEL-
LANEARUM.

Semicenturia.

I.

PRinceps in irrogatione Poenarum dispensare & ex plenitudine Potestatis poenam mortis in aliam commutare aliquando potest.

II. Antinomias in Jure nostro dari nec Imperatoris Justiniani convenit Constitutioni, nec Studiosæ juventuti expedit statuere.

I

III. Bel-

III. Bellum justum potest esse injustum, & vice versa.

IV. Duces militares sive alii Officia-rii bellici recte dicuntur Magistratus, ut patet ex l. 6. & ult. C. de jurisd.

V. Literati, Doctores, Professores, Advocati, possunt opifices, puta vieto-res, fabros & alios, strepitu quodam su-am artem exercentes, si juxta literato-rum domus ædes emant, judicis officio repellere.

VI. Realis aliqua est differentia in-ter Freye und Reichs-Städte.

VII. Introductio Apanagii in Prin-cipum Germaniæ Familiis est approban-da, & æquitati maxime consentanea.

VIII. Consuetudo, ut novus Pastor Antecessoris sui viduam aut filiam reli-ctam in uxorem ducat, tolerabilis est.

IX. Imperator cum Statibus Impe-rii

rii in territoriis eorum concurrentem jurisdictionem non habet; habet autem cum Camera Imperiali.

X. Imperator causas & lites Statuum Imperii sine præjudicio privilegii Austregarum ad Aulam suam trahere nequit.

XI. Ab Imperatore ad Pontificem appellare non licet.

XII. Non Germanus in Imperatorem vel Regem Romanorum eligendus non est.

XIII. Imperator absque consensu reliquorum Statuum Imperii aliquem dignitate exuere & a consortio Imperii excludere nequit.

XIV. Status Monarchicus sive Regius modo gubernandi Aristocratico temperatus omnium est tutissimus, & talis est Status præsens modernus Imperii Romano Germanici.

XV. Judæi certis sub conditionibus in Rempubl. Christiana tolerari possunt.

XVI. Jus Canonicum in se consideratum Evangelicos non obligat.

XVII. Juris Canonici seu Pontificii hodie in Imperio nostro, non equidem ex Pontificis jussu aut potestate, quam nullam agnoscimus, sed potius ex usu & receptione, non exigua est Auctoritas, ut etiam in nonnullis juri Civili prævaleat.

XVIII. Vicariis Imperii jus Academiæ erigendi recte tribuitur.

XIX. Dantur Sagæ, & in eas bonæ conscientia capitaliter animadverti potest ac debet: Probatio autem per aquæ impositionem non est sufficiens ad torturam indicium.

XX. Regina vel Regis filia aut Ducissa nubens nobilitatis gradu depressiori,

ri, quantumlibet de innata nobilitate Neonympho nihil communicet, suæ tamen dignitatis titulo. vel prædicato non excidit.

XXI. Nobilis Virgo, quam Princeps aut Comes Imperii in uxorem duxit, titulo *der Hoch- oder Wohlgebohrnen* gaudet.

XXII. Perfectus Jctus non est, qui Pacis tantum jura novit, remota spectaque belli lege; Nec

XXIII. Ille Jctus dici potest, qui jus publicum non intelligit, quod ipsum etiam a Practico, quem vocant, requiritur. Nec

XXIV. Ille verus Jctus, qui neglecto jure divino secundum leges humanas solum judicat.

XXV. Bellum absque indictione solenne non est, & jure Gentium improbatur.

XXVI. Militare licet & castra sequi salva conscientia.

XXVII. Ruffus non statim pro maleferiato habendus, imo hic calor optimi & fidelissimi hominis, veteres quippe Germani plerique tales erant, indicium.

XXVIII. Status Imperii delinquens in alterius Status territorio interdum sortitur forum in loco commissi delicti, interdum non.

XXIX. Periculosa est eorum sententia, qui Tyrannum salva conscientia occidi posse autumant.

XXX. Extrema urgente necessitate, jus Angariarum obtinere potest.

XXXI. Repressaliarum jure Mercatorum naves non inique detineri possunt.

XXXII. Vasallus in acie cum Domino constitutus non tenetur salutem Domini propriae proferre.

XXXIII. Pro Studio non habendus est, nec eorum privilegiis gaudet, cujus nomen in matriculam relatam non est.

XXXIV. Princeps, sub distinctione tamen, tenetur Antecessoris facta adimplere.

XXXV. Lex Salica, quam sub Pharamundo primo Francorum Rege circa Annum

num Christi 425. latam contendunt, nunquam fuit lata.

XXXVI. Recte Imperium Romanum vocatur sacrum, interdum sacrosanctum. An & alia Imperia? subsisto.

XXXVII. In Statu quoque innocentiae status fuisset politicus.

XXXVIII. Zingari, vulgo Ziegeuner, Rempubl. habent nullam.

XXXIX. Divisio Majestatis in Realem & Personalem vera non est divisio, usu tamen suo non destituitur.

XL. Reges Israëlitarum potius habebant Majestatis exercitium, quam Majestatem ipsam, uti & Dictatores Romanorum perpetui.

XLI. Populus in aliquem Majestatem conferre non potest, sed tantum habilitat subiectum, cui subiecto postmodum a DEO immediate conceditur Majestas atque confertur.

XLII. Non datur Majestas temporaria.

XLIII. Magistratus Politicus aliquem
ne

ne advocatum vel causæ Patronum assumat, prohibere nequit.

XLIV. Legati omni jure sunt inviolabiles.

XLV. Capitulatio summi Imperatoris Imperio nihil derogat.

XLVI. Imperium nostrum Romano-Germanicum adhuc hodie est electivum.

XLVII. Civitates Imperii etiam jura territorialia habent personalia, non tantum realia.

XLVIII. Nobiles immediati non sunt Status Imperii; num vero habeant superioritatem territorialem, dubitari potest.

XLIX. Inscriptio Matriculæ Statum Imperii non arguit.

L. Jurisdictio Camerae Imperialis non est delegata, sed ordinaria.



JOH.



JOHANN. VOLCKM.
BECHMANN,

D. & Antecessor, & Facultatis Juridicæ
in Academia Salana
h. t. IIX. DECANUS.

L. S. D.

Non tantum Jcti nostri, sed etiam alii *elegantioris* literaturæ Sectatores *Grammatici*, vel, si malles, *Philologi* profus disconveniunt, in voce *periculi*, quæ habetur in *tit. C. de sentent. ex periculo recit. Salmasius in Observat. ad i. A. & R. c. 7.* sic habet. Vox *pariculum* infimæ est Latinitatis, quod est diminutivum a primitivo *par*, & ejusdem cum illo significationis omnibus antiquis auctoribus inauditum. Inde Galli suum fecerunt *pareii*, pro *pari* ex *pariculo*, ut *vermeil* ex *vermiculo* vel *vermiclo* pro *rubro*, vel *coccino*. Quod antiquioribus Græcis *ἀντιγερῶν* dicebatur, recentiores *ὄσον* dixerunt, & *ισότροπον*, id
K nimi-

nimirum, quod exemplum vocavit prisca & pura Latinitas. Ab eo Græco recentiore *ἰσὺν* pro exemplo, Latini ejusdem ævi, qui *Græculos* plurimum imitabantur, par reddiderunt & pariculum eodem significato. Quæ prisca igitur dixissent literas, constitutiones, instrumenta eodem exemplo scripta, isti dixerunt a pari, vel a paribus, id est ἀπὸ τοῦ ἰσὺν vel ἀπὸ τῶν ἰσὺντων. Nolim autem omnes aliorum *joculares* interpretationes huc transferre, qui *breviculum* pro *periculo* substituunt, sed invita jurisprudentia. Mei Codices Justiniani omnes non legunt *pariculi*, sed *periculo*. Quamvis quædam MSS. habeant *pariculi*, sic dicit J. Goth. ad l. 2. C. Theod. h. c. Illud non abnuo, in MSS. *Sirmondi*, quem ipse vidi, cum in Comitatu Regis Christianissimi nuper agerem, hanc vocem ita expressam in *Rubrica hujus Tituli*. Verum recte subjicit idem G. sed procul dubio illius ævi Librarii hanc vocem admisere, quibus *periculi* vox minus cognita. Vides *ἐπιφωτιστὴς* ἢ *ἐπιφωτιστὴς* Interpp. Hoc tamen crederes, quod *periculum* in *d. l.* significet *libellum* seu *scripturam*, & id apparet in omnibus LL. *d. t. in l. 1.* ibi nulla sententia est, quam *scriptam l. 2.* ibi in *libellum* sequuta fidelitate conterant. Scriptosque ex *libello* partibus legant *l. 3. ibi* ultimas definitiones de *scripti* recitatione proferant. Et licet vox *periculum* in tali significato alios *terstioris* Latinitatis Autores non inveniretur, attamen eam tanquam terminum *technicum* nobis vindicarem, cum primis dd. LL. auctorati. *L. 2.* edita fuit XII. Kal. Febr. Grat. A. II. & Proh. Coss. de hoc Probo jam tum pronuper insigne testimonium C. adduxi, & hoc saltem addiderim, quod *in d. l. 3.* subscriptione habetur *Tribus*.
Sed

Sed non est civitas vel locus, quam *Tribus* vocant. Unde hæc subscriptio est hypobolymæa. Magis legeres *Treviris. vid. Ammian. Marcellinum Lib. XXX. in gest. S.I.D.L. 2. in Cod. Theod. est prima, sed vel hæc L. habet emblemata, vel incusares transcribentium incuriam, quam colligeres ex d. l. 2. Cod. Justin. Cæterum in d. 1. Imp. Valent. Valens & Gratianus AAA. rescripserunt Probo P.P. Quæ ratione iudices debeant sententias concipere & publicare. Merentur d. l. aurea verba, ut ab omnibus legantur ibi. Hac lege perpetuo credimus ordinandum, ut iudices, quos cognoscendi & pronunciandi necessitas tenet, non subitas, sed *deliberatione habita* post negotium sententias ponderatas sibi ante forment, & emendatas statim in *libellum* secuta fidelitate conferant, scriptasque ex *libello* partibus legant. Sed nec sit eis posthac copia corrigendi vel mutandi. Hujus l. 2. ratio solida redditur in l. 3. C. Theod. d. l. ibi *Judex in præferenda sententia, quæ jurgantibus possit ad plenum recensere, quicquid negotii fuerit illatum; Quod senserit, scribat & relegat, ne per errorem iudicis iterum a primordio novæ litis sentiantur eventus. Utinam omnes iudices d. l. saluberrimam in sententiis ferendis hodie etiam observarent. Verum, ut habent *Analeccta Petroniana*, quod quisque perperam discit, id in *senectute* confiteri non vult, & prodigius temporis essem, si cum *Aristophone* dicerem.**

Ἐν τῶν ποδῶν ἐς τὴν κεφαλὴν σὺ πάντ' ἐρῶ.

Cum primis autem me commovit, quod hanc in tri-
tura Fori utilissimam materiam *Clarissimus Dominus*
K 2 CHRI-

CHRISTOPHORUS CORIARIUS,
Supremorum Juris Honorum Candidatus dignissimus, in suis
solemnibus Commentationibus uberius enotabit. Nos ea,
 quæ pertinet ad ejus Historiam vitæ laudabiliter actæ,
 more apud nos adulto, subjicimus.

Natus est Candidatus noster in Salinis Hassiacis
 Anno 1654. Patre Præ-Nobilissimo, Amplissimo atque
 Excellentissimo DN. ELIA CORIARIO, Serenissi-
 mi ac Celsissimi Principis ac Domini, Domini WIL-
 HELMI VI. Hassiæ Landgravii, Principis Hirschfel-
 diæ, Comitis Cattimeliboci, Deciæ, Ziegenhainæ, Nid-
 dæ & Schaumburgi, *Gloriosæ memoria,* Principalis Came-
 ræ Consiliario, Salinarum Hassiacarum Halarcha & Rei-
 publicæ Altendorphenfis Inspectore ac Præfecto sum-
 mo, pie jam defuncto. Avo Viro Amplissimo atque Spe-
 ctatissimo DN. CHRISTOPHORO CORIARIO, Con-
 sule Lichtenaviensi meritissimo. Matre AGNETA
 THAURERIN, Matrona omnium virtutum fœmine-
 arum genere maxime decorata, Viri Nobilissimi atque
 Amplissimi DN. WILHELMI MAURITII THAU-
 RER, Salinarum antedictarum Quæstoris meritissimi, fi-
 lia. Ab hisce suis parentibus a teneris statim in Religione
 Christiana & bonis moribus educatus atque studiis libe-
 ralibus addictus fuit. Hinc Præceptorem nactus est Vi-
 rum Clarissimum DN. DANIELEM THOREJUM,
 quem pie adhuc veneratur. Ao. 1667. missus fuit Cassel-
 las ad DN. Avunculum, Virum Nobilissimum atque
 Consultissimum DN. JUST. CHRISTOPH. THAU-
 RERUM, Serenissimi ac Celsissimi Principis ac Domi-
 ni,

ni, DN. CAROLI I. Hassiæ Landgravii &c. &c. &c. Principis ac Domini sui Clementissimi *Secretarium* optime meritum, cui filialem se debere amorem subinde profitetur.

Ubi denuo fidelis præceptoris curæ Viri præclarissimi Domini GEORGII OTTONIS h. t. Conrectoris in patria fidelissimi commissus fuit, quem ob informationem, & studiorum suorum curam indefessam adhuc usque honorat. Ao. 1670. *Marpurgum* adiit, altioris eruditionis emporium celeberrimum, ubi iterum se commisit informationi Virorum Excellentissimorum atque præclarissimorum DN. M. NICOLAI BERTHOLDI, Logices ac Metaphysices Professoris Celeberrimi, ut & DN. M. ABRAHAM BOOTS, Historiarum quondam atque Eloquentiæ Professoris famigeratissimi, quorum Collegia Logica, Metaphysica, Historica, Politica, Oratoria, sedulo audivit, simui ac sub ultimi laudati Viri Directoris *Orationem publicam*, quæ publicis typis exarata, cujusque inscriptio: *IDEA BONI JUDICIS*, *memoriter* recitavit. Accessere his Celeberrimi Professores Juris, Institutiones Juris Justinianeï sedulo ipsi explicantes. Ao. 1673. *Gröningam* profectus Præ-Nobilissimum atque Excellentissimum DN. FELT MANNUM, Jctum Celebratissimum, Institutiones juris explicantem diligenter auscultavit, Ao. 1675. a Matre dilecta e Belgio revocatus *Jenam* adiit, sedem Musarum fertilissimam atque florentissimam, ibique Magnificos atque Præ-Nobilissimos DNN. Antecessores, Dominum STRUVIUM ad Jus Canon-

cum a Desselio contractum. B. Dominum SCHROE-
TERUM ad Schotani Examen Juridicum. Domi-
num LYNCKERUM ad materiam juris publici de
Jurisdictione Territoriali. DN. FALCKNERUM
h. t. Academiae Rectorem Magnificum ad Instituta lo-
cupletissime commentantes cupide audivit. Privatam
quoque informationem nactus est Nobilissimi atque
Consultissimi DN. D. Friesen, Illustris Regiminis Saxo-
Jenensis Advocati Ordinarii, ejusque Collegia Philoso-
phica atque Institutionum visitavit, subque ejusdem
Præsidio ad Exercitationes Ludwellianas *trina vice* pu-
blici respondentis munere masculus functus est. Deinde
accessit Nobilissimum atque Consultissimum DN. D. SI-
MONEM; ejusque similiter privata informatione usus
Collegia Institutionum ad Ludvillum, Schnobelium,
Eckoltum aliaque, insimul etiam sub ejusdem Præsidio
Centurias duas thesaurum ex universo jure depromptarum, quæ
publicis typis exaratae sunt, pro virili defendit, quem
filiali ac infucato amore semper se persequi publice con-
fiteatur. Præstantissimi & *recondite* eruditionis plenissi-
mi sunt versus *Simon*. quos refert Clemens Alexandri-
nus Strom. *Lib. III.*

Τραίνειν μὲν ἀγίστον θνητῶν
Δεύτερον δὲ, Φραν ΚΑΛΘΝ γενέσθαι,
Τὸ τρίτον δὲ, πλατῆν ἀδόλωσ,
Καὶ τὸ τέταρτον συνηθᾶν κατὰ τῶν Φίλων.

Et cum hos Candidatus noster secum altius exputaret,
& nosset ex *Sulpitia* in Satira, quod

duo

----- duo sunt, quibus extulit ingens
Roma caput, virtus belli, & sapientia Pacis.

Ideo quo etiam tandem caput alius extolleret, pronu-
 per nomen suum decenter apud nos professus fuit, ut
 solenni more inquireremus in ejus profectus Juridicos.
 Et dum non tantum in assignatorum textuum Resolu-
 tione, sed etiam Responzionibus nobis omnino satis fa-
 ceret, eum ad *Lectiorem Cursoriam* aliaque Solennia
Specimina admittendum esse unanimiter decrevimus.
 Cras hora X. suas publicas *Acroases* in Auditorio Jcto-
 rum instituet, quibus ut Magnificus DN. RECTOR, A-
 cademiæ Proceres, omnesque, qui nostram D. *Legum-*
laticem venerantur, interesse velint, h.t. inclyti Collegii
 nostri Orator, etiam atque etiam rogo.

P. P. JENÆ XV. Maji. Anno M. DC. LXXIIX.



(17)

Handwritten text, mostly illegible due to fading and bleed-through from the reverse side of the page.




Ki: 1242^d

ULB Halle

3

004 917 502







B.I.G.

Farbkarte #13

NICOLAI CHRISTOPHORI
LYNCKERI, JCTI,

*Consilarii Aulae Regiminis & Consistorii Ducalis Saxonici, Facultatis
Juridicae Senioris, Curiae Provincialis ac Scabini Assessoris,
& Antecessoris Primarii,*

TRACTATIO JURIDICA,
DE

JURE RESTI-
TUENDÆ FAMÆ,

Vom

Recht eines wieder Ehr-
lich = Gemachten,

Olim Mense Augusti 1708. Jene habita.

Hi 1242 d



EDITIO NOVISSIMA.

HALÆ MAGDEBURG.
APUD JOH. CHRISTIANUM HENDELIIUM, 1727.

